Phaedo

Plato

ECHECRATES: Ipse, o Phaedo, affuisti qua die Socrates venenum bibit in carcere, an ab alio ipse audivisti?

PHAEDO: Ipse, o Echecrates, affui.

ECHECRATES: Quaenam sunt ea quae vir ille antequam moreretur loquutus est? Et quomodo e vita discessit? Libenter enim audirem. Nam neque quisquam Phliasiorum civium frequenter proficiscitur nunc Athenas, neque iamdiu hospes aliquis inde ad nos accessit qui certum aliquid ea de re nunciare nobis posset, nisi illum veneno e vita migrasse; de ceteris vero nihil quid referret habebat.

PHAEDO: Nec ergo quae ad iudicium pertinebant, quo pacto tractata fuerint, audivistis?

ECHECRATES: Audivimus: haec enim nobis quidam retulit. Et admirati profecto sumus, quod iam peracto iudicio diu postea obiisse videatur. Quidnam in causa fuit, o Phaedo?

PHAEDO: Sorte quadam id Socrati, o Echecrates, accidit. Nam pridie quam iudicaretur, ornari contigit puppim navis eius quam mittunt Athenienses quotannis in Delum.

ECHECRATES: Id vero quidnam sibi vult?

PHAEDO: Haec est illa navis, ut aiunt Athenienses, in qua Theseus olim bis septem illos secum duxit in Cretam servavitque illos, et ille servatus est. Voverant tunc, ut fertur, Apollini, si servarentur, quotannis in Delum spectaculum quoddam mittere. Quod quidem nunc etiam ac semper ex illo tempore singulis ad Deum mittunt annis. Cum igitur spectaculi principium agitur, ex lege interim lustrant urbem, neminemque eo tempore publice necant, donec Delum perveniat navis rursusque Athenas revertatur. Id vero nonnunquam longo peragitur tempore, quando eos occupant venti. Initium vero spectaculi est postquam Apollinis sacerdos navis illius coronaverit puppim. Id vero, ut modo dicebam, priusquam iudicaretur factum erat. Quamobrem longum tempus Socrates fuit in carcere inter iudicium atque mortem.

ECHECRATES: Circa vero mortem ipsam, o Phaedo, quaenam sunt ab eo dicta quaeve facta, quive familiarium aderant? An magistratus adesse non permittebant, atque ita defectus ab amicis decessit?

PHAEDO: Nequaquam: aderant aliqui, et quidem multi.

ECHECRATES: Haec igitur omnia para te quam planissime nobis referre, nisi aliud negotii te impediat.

PHAEDO: Otiosus equidem sum, atque enarrare vobis conabor. Quippe cum meminisse Socratis, sive ipse loquar sive loquentes alios audiam, mihi semper omnium sit dulcissimum.

ECHECRATES: Similiter, o Phaedo, et hi qui te audituri sunt affectos habebis. Itaque conare pro viribus diligentissime omnia persequi.

PHAEDO: Atque eadem quadam ratione, o Echecrates, illic praesens affectus sum. Neque enim misericordia me capiebat, ut familiaris alicui viri morti praesentem. Siquidem beatus vir ille mihi, o Echecrates, videbatur, tum animi illius habitum, tum rationem consideranti: adeo intrepide generoseque migrabat e vita, ut videretur mihi in vitam alteram non absque divina forte migrare, sed illic quoque beatus fore, si quisquam unquam alius. Quamobrem neque admodum commovebar, ut consentaneum videretur hominem rei praesentem lugere, ut solebamus alias quum in philosophia versabamur. Nam erat mirus atque insolita voluptatis dolorisque permixtio, considerantem illum paulo post moriendum esse. Et quicunque aderamus, ferme similiter eramus affecti, alias quidem ridentes, alias vero lacrymantes; unus autem praeter ceteros Apollodorus: nosti enim virum eiusque mores.

ECHECRATES: Quidni?

PHAEDO: Ille igitur ita prorsus erat affectus; atque ipse aliique omnes distractu similiter perturbatione animi habebamus.

ECHECRATES: Sed quinam forte aderant, o Phaedo?

PHAEDO: Cives quidem et indigenae aderant: ipse Apollodorus, et Critobulus paterque eius Crito; rursus Hermogenes, Epigenes, Aeschines, Antisthenes. Aderat et Ctesippus Paeaneus, et Menexenus, atque alii quidam indigenae. Plato autem, ut arbitror, aegrotabat.

ECHECRATES: Sed num aliqui aderant peregrini?

PHAEDO: Aderant et peregrini: Simmias Thebanus, et Cebes, et Phaedondes; Megarenses vero Euclides et Terpsion.

ECHECRATES: Aristippus autem et Cleombrotus an aderant?

PHAEDO: Nequaquam: in Aegina enim dicebantur esse.

ECHECRATES: Aderantne super alii?

PHAEDO: Hos ferme quos narravi interfuisse existimo.

ECHECRATES: Dic vero, quales fuerunt sermones?

PHAEDO: Conabor equidem a principio omnia enarrare. Solebamus quotidie diebus superioribus ad Socratem proficisci, ego atque alii, convenientes mane in illa curia in qua et iudicatum fuerat: carceri enim erat proxima. Colloquentes igitur inter nos operiebamur semper illic, quoad carcer aperiretur; aperiebatur enim haud admodum mane. Eo autem aperto, ingrediebamur ad Socratem, et saepe diem integrum cum ipso transigebamus. Tunc ergo prius solito convenimus. Pridie namque eius diei, quum e carcere vespere egressi essemus, navem ex Delo audivimus rediisse. Itaque ediximus invicem summo mane nobis esse ad locum solitum redeundum. Cum vero reversi essemus, egressus nobis obvius ianitor, qui solebat admittere, expectare iussit, nec prius ingredi quam ab ipso accerseremur. Solvunt enim, inquit, undecim viri Socratem, illique denunciant hodie mortem esse obeundam. Neque deinde admodum commoratus rediit ad nos, iussitque intrare. Itaque introeuntes Socratem quidem invenimus compedibus paulo ante solutum; Xanthippen vero (nosti mulierem) iuxta sedentem, puerumque eius manibus tenentem. Quae nos quum vidisset, eiulare coepit, et qualia mulieres solent exclamare: O Socrates, inquit, nunc te postremum familiares affabuntur, tuque illos. At Socrates Critonem intuitus, O Crito, inquit, abducat quis hanc domum.

PHAEDO: Et illam quidem abduxerunt quidam Critonis domestici, vociferantem atque plangentem. Socrates autem, sedens in lecto, contraxit ad se crus manumque perfricuit, atque inter fricandum sic inquit: Quam mira videtur, o viri, haec res esse, quam nominant homines voluptatem, quamque miro naturaliter habet modo ad dolorem ipsum qui eius contrarius esse videtur. Quippe cum simul homini adesse nolint, attamen si quis prosequitur capitque alterum, semper ferme alterum quoque accipere cogitur, quasi ex eodem vertice sint ambo connexa. Arbitror equidem Aesopum, si haec animadvertisset, fabulam fuisse facturum: videlicet Deum ipsum, cum ipsa inter se pugnantia vellet conciliare neque id facere posset, unum eorum apices coniunxisse, proptereaque cuicunque adest alterum, eidem mox alterum

quoque adfuturum. Quod quidem mihi accidit in praesentia: siquidem modo crus propter vincula afficiebatur dolore, sed huic succedere voluptas iam videtur.

CEBES: Per Iovem, inquit, o Socrates, opportune id mihi in memoriam revocasti. Cum enim poemata composueris, prius tantum in laudem Apollinis, deinde etiam fabulas Aesopi carmine modulatus, tum alii multi me interrogaverunt, tum Euenus paulo ante, quonam consilio, postquam in carcerem veneris, ea feceris quae prius feceras nunquam. Si igitur tibi curae est ut habeam quid respondeam Eueno, quando iterum ex me id quaesierit (quod certo scio facturum), dic quaeso quid ei sit respondendum.

SOCRATES: Vera, inquit, o Cebes, responde: me id effecisse, non quod illi vel ipsius carminibus contendere [vellem] (sciebam enim haud facile id esse), verum ut insomnia quaedam experirer, ne quo officio meo deessem si forte haec esset ea musica quam saepius iam exercere me iubent. Erant autem eiusmodi. Saepe in anteacta vita idem insomnium, licet alia atque alia forma occurrens, idem sese obtulit, eademque semper ita praecipiens: Fac, o Socrates, musicam, atque exerce. Ego igitur quod in superiori tempore faciebam, hoc mihi praeceptum arbitrabar: ut, quemadmodum currentes adhortari solemus, sic quod ipse antea faciebam ad idem insomnium cohortari putabam, quasi philosophia maxima quaedam musica foret, ego autem in ea elaborarem. Postquam vero sententia de me lata esset, et mori me Dei festum inhiberet, censui oportere, si forte insomnium toties iuberet popularem hanc musicam exercere, neque ei repugnare, sed more gerere. Tutius enim esse vaticinari, et parere insomnio, poemata facere. Itaque primum quoddam in eum Deum cuius tunc festum erat composui; post Deum vero, considerans oportere eum qui poeta futurus esset fabulas potius quam sermones componere, ipseque non essem fabularum inventor, eas quas in promptu habebam Aesopi fabulas, magisque in promptu habebam, ut in quamque prius incidi, modulatus sum. Haec igitur, o Cebes, refer Eueno, et iube ut valeat, et si sapit me sequatur. Migro enim hinc hodie, ut apparet: sic enim Athenienses iubent.

SIMMIAS: Quale id est, inquit, o Socrates, quod Eueno mandas? Saepe enim in illum incidi, et quantum ex illo sentio, nullo paene modo libens ille tibi parebit.

SOCRATES: Quid vero, inquit, nonne philosophus est Euenus?

SIMMIAS: Mihi quidem videtur, inquit Simmias.

SOCRATES: Volet igitur et Euenus, et quicunque huius rei digne est particeps. Non tamen forte sibi vim inferet: non enim fas esse aiunt. Et simul haec dicens, crura e lecto demisit in terram, atque ita sedens deinceps reliqua disputavit.

PHAEDO: Quaesivit igitur ab eo Cebes: Quonam id modo ais, o Socrates, fas quidem non esse seipsum violare, philosophum tamen morientem sequi velle?

SOCRATES: Quid, o Cebes, inquit, nonne tu Simmiasque talia quaedam audivistis a Philolao, quo familiariter utebamini?

CEBES: Manifesti quidem, inquit Cebes, nihil, o Socrates.

SOCRATES: Atqui ego quoque de his rebus, inquit Socrates, ex auditu loquor. Quae igitur ipse audivi, referre vobis nulla invidia prohibebit. Etenim fortasse maxime decet illo migraturum considerare atque animo fingere qualis futura putanda sit haec migratio. Quid enim aliud usque ad solis occasum quis faciat?

CEBES: Quam ob causam, inquit Cebes, o Socrates, nefas esse aiunt sibimet manus inferre? Iam enim, quod modo quaerebas, ego a Philolao audivi, quum apud nos versaretur, et ab aliis insuper nonnullis, non decere id facere; aperte tamen hac de re quicquam nihil ab aliquo unquam audivi.

SOCRATES: Sed attentione opus est, inquit. Nam et si audieris, mirum tamen forte videri possit, utrum hoc solum ex aliis omnibus simplex sit, nec accidat unquam homini quemadmodum cetera, ut quando et melius sit mori quam vivere. Itaque mirum tibi forte videbitur, si his quibus praestat mori non liceat sibimet prodesse, sed alium oporteat expectare qui prosit.

CEBES: Tunc Cebes subridens, Ittio Iupiter, inquit, sua ipsius lingua loquens.

SOCRATES: Atqui videri quidem, inquit Socrates, potest id sic absurdum. Fortasse tamen quandam habet rationem. Profecto sermo ille qui de hisce rebus in arcano habetur, quod nos homines sumus in quadam custodia, neque decet quenquam ex hac seipsum solvere neque aufugere, magnus quidem mihi videtur, neque cotu facilis. Veruntamen id mihi, o Cebes, recte dici videtur: Deos quidem curam habere nostri, nos vero homines unam quandam ex possessionibus esse Deorum. An non ita tibi videtur?

CEBES: Mihi quidem, inquit Cebes.

SOCRATES: Nonne igitur, inquit, et tu, si quod mancipiis tuis seipsum perimeret, quum tu minime significasses velle te ut e vita excederet, irascereris illi? et si potestatem haberes, poena quadam afficeres?

CEBES: Omnino, inquit.

SOCRATES: Forte igitur hoc modo non praeter rationem est, non prius debere seipsum interficere quam Deus necessitatem aliquam imposuerit, qualem nobis imposuit in praesentia.

CEBES: Consentaneum quidem apparet, inquit Cebes. Quod vero dicebas modo, philosophos perfacile velle mori, absurdum, o Socrates, videtur esse, siquidem quod nunc diximus rationem habet, Deum scilicet nostri curam gerere, nos vero eius esse possessionem. Nullam enim id rationem habet, prudentissimos videlicet homines non aegre ferre ab ea cura se amoveri qua illi praestant qui sunt optimi omnium rerum gubernatores. Nunquam enim putaverit vir prudens ipsum se melius esse curaturum si liber evaserit; sed demens aliquis forsitan id putaret, fugiendum scilicet esse a domino, neque cogitaret non esse id quod bonum est fugiendum sed in eo maxime permanendum, ideoque absque ratione fugeret. Qui vero mentem habet, semper apud eum qui sit melior esse cupit. Atque ita, o Socrates, contra id quod paulo ante dicebatur probabilius est: sapientes enim decet graviter mortem ferre, insipientes vero libenter.

PHAEDO: Socrates igitur cum haec audisset, delectari mihi visus est diligentia Cebetis. Conversusque ad nos, Semper, inquit, hic Cebes rationes quasdam perscrutatur, neque admodum facile id quod quivis dixerit vult admittere.

SIMMIAS: Tunc Simmias, Mihi quoque, inquit, nonnihil videtur Cebes dicere. Quo enim consilio sapientes viri eos qui meliores re vera quam ipsi sint dominos fugiant, illisque carere facile patiantur? Atqui mihi videtur Cebes sermonem in te intendere, quod tam facile et nos relinquas, et Deos (ut tu ipse fateris) principes bonos.

SOCRATES: Iusta dicitis, inquit Socrates. Arbitror enim vos dicere meipsum tanquam in iudicio oportere purgare.

SIMMIAS: Et maxime quidem, inquit Simmias.

SOCRATES: Age ergo, inquit, conabor nunc apud vos accuratius quam apud iudices fecerim me defendere. Equidem, o Simmia atque Cebes, nisi me migraturum putarem primum quidem ad Deos alios sapientes et bonos, deinde ad homines defunctos his qui hic sunt meliores, iniusta agerem non moleste iturum: sed hoc quidem haud omnino asseverarem. Quod si quid aliud eiusmodi, et hoc utique me affirmaturum: propterea haud quaquam mortem moleste fero, ut quidem aliter se res haberet facerem, sed bono animo sum, speroque superesse aliquid his qui defuncti sunt, atque (ut iam diu dicit) multo melius bonis fore quam malis.

SIMMIAS: Quid igitur, o Socrates, inquit Simmias? num ipse cum isthac sententia hinc abire cogitas, an nos quoque participes eius relinquere? Nam commune nobis quoque id bonum esse arbitror. Praeterea ita demum te apud nos purgaveris, si quae dicis nobis etiam persuaseris.

SOCRATES: Dabo equidem operam, inquit. Sed Critonem prius auscultemus: videtur enim mihi iamdudum nonnihil velle dicere.

CRITO: Quid putas aliud, o Socrates, inquit Crito, quam quod iamdudum mihi dicit is qui tibi venenum est daturus: te videlicet monendum esse ut quam parcissime loquaris? Dicit enim eos qui disputant nimium incalescere; nihil vero tale bibituris venenum convenire. Alioquin eos qui id fecerint cogi interdum bis quandoque ter venenum bibere.

SOCRATES: Mitte ipsum, inquit. Tantum id quod officii eius est paret, tanquam bis, si oportuerit ter, praebiturus.

CRITO: Et antea quidem, inquit Crito, ferme id te responsurum sciebam, sed me ille iamdudum interpellat.

SOCRATES: Mitte ipsum, inquit. Ego vero, o iudices, rationem vobis iam reddere volo, ob quam mihi videatur vir qui per omnem vitam incubuerit philosophiae merito magna cum fiducia, imminente expectare mortem, atque bona spe esse se ibi, postquam hinc migraverit, maxima bona reportaturum. Quemadmodum igitur id ita se habeat, o Simmia atque Cebes, conabor equidem aperire. Quicunque philosophiam recte tractant, videntur latuisse ceteros homines, quod nihil aliud ipsi commentarentur quam mori atque esse se mortuos. Quod si id verum est, perabsurdum foret, si, cum nihil praeter hoc aliud per omnem vitam studuerint, hoc adveniente quod iamdiu agitabant exercebantque graviter ferrent.

SIMMIAS: Hic Simmias arridens, Per Iovem, inquit, o Socrates, mihi quidem haud multum ridere cupienti risum expressisti. Puto enim multos fore qui, si id audierint, aptissime in philosophos dictum putent, nostrosque homines consensuros, et vere de quidem quod philosophi re vera moriantur, minimeque illos ignorare dignos esse hos qui hoc ipsum patiantur.

SOCRATES: Et vere quidem, o Simmia, dicerent, praeterquam quod se hoc non ignorare addunt. Latet enim ipsos qua ratione veri philosophi et mori studeant et morte sint digni. Sed iam relinquamus illos, nobisque ipsis loquamur. Putamusne aliquid esse mortem?

SIMMIAS: Aliquid certe, inquit Simmias.

SOCRATES: Nunquid aliud, inquit, quam animae a corpore solutionem? Esseque id mortuum esse, scilicet solutum anima corpus per se seorsum esse, seorsum quoque a corpore animam solutam ipsam per seipsam existere? Nunquid mors praeter hoc aliud est?

SIMMIAS: Nihil aliud, inquit Simmias.

SOCRATES: Considera, inquit, o bone vir, num tibi idem quoque et mihi videatur. Ex his enim arbitror planius quae perquirimus intellecturos. Videturne tibi philosophi officium esse sectari eas quae appellantur voluptates, quales sunt epularum atque poculorum?

SIMMIAS: Minime quidem, o Socrates, inquit.

SOCRATES: Sed an venereorum?

SIMMIAS: Nullo modo, inquit.

SOCRATES: Quid reliquum corporis cultum, an eum magnifacere philosophus tibi videtur, ut habere vestes egregias calceosque, et alia quae circa corpus sunt ornamenta, utrum multi facere tibi videtur, an nihili pendere, nisi quatenus magna cogat necessitas iis uti?

SIMMIAS: Mihi quidem videtur verus philosophus haec omnia flocci pendere, inquit Simmias.

SOCRATES: Annon tibi videtur, inquit, huiusmodi hominis studium haud ad corpus quidem declinare, sed quantum fieri potest ab illo discedere atque ad animum se convertere?

SIMMIAS: Mihi quidem, inquit Simmias.

SOCRATES: Nonne igitur in eiusmodi rebus primum manifeste apparet philosophus, prae ceteros homines, animum quam maxime potest a commercio corporis segregare?

SIMMIAS: Apparet, inquit. Putant vero plerique, o Simmia, eum homini cui nihil talium dulce sit, neque illis fruatur, re vera vivere existimandum non esse, pene mortuum, cum voluptatibus corporis non studeat.

SOCRATES: Quid autem circa sapientiae ipsius acquisitionem, inquit Socrates: utrum impedimento est corpus, si quis ipsum socium ad investigandum assumpserit, necne? Quale id est quod nunc dicam. Habentne veritatem visus et auditus in hominibus aliquam? An vero sic res habet, ut ipsi quoque poetae semper canunt, nihil nos audire, nihil videre syncerum? Atqui si ii corporis sensus synceri certique non sunt, neque etiam alii: quippe cum ceteri omnes his quodammodo deteriores sint. An non tibi videntur?

SIMMIAS: Prorsus, inquit.

SOCRATES: Quando igitur animus veritatem attingit? Quando enim aliquid cum corpore tentat investigare, proculdubio decipitur a corpore.

SIMMIAS: Vere loqueris, inquit.

SOCRATES: An non in ipsa ratiocinatione, si usquam alibi, certe fit illi aliquid eorum quae vere sunt manifestum?

SIMMIAS: Ita est, inquit.

SOCRATES: Ratiocinatur autem tunc optime, quando horum nihil eum perturbat, neque auditus, neque visus, neque dolor, neque voluptas, sed quam maxime seipsum in se recipiens, neque secans neque attingens, ipsum quod vere est affectat. Est ita, inquit, ne contemnit corpus, ab eoque aufugit, quaeritque secundum seipsum vivere?

SOCRATES: Iustum ipsum esse aliquid, an nihil?

SIMMIAS: Aliquid per Iovem, inquit.

SOCRATES: Rursus ipsum pulchrum ipsumque bonum aliquid esse?

SIMMIAS: Quidni?

SOCRATES: Num aliquando horum aliquid oculis percepisti?

SIMMIAS: Nunquam, inquit.

SOCRATES: An alio quodam sensu corporis illa attigisti? Loquor autem de omnibus, veluti de ipsa magnitudine, de sanitate, de robore ipso, ac summatim de ceterorum omnium essentia, id est quod unumquodque sit. Utrum per corpus, quod in his verissimum est, perspicitur? An ita se res habet, ut quicunque nostrum maxime et accuratissime cogitare mente se comparat ipsum quod aggreditur cogitandum, hic proxime ad cognitionem ipsius accedat?

SIMMIAS: Prorsus.

SOCRATES: Nonne igitur ille purissime faceret, quicunque ipsa cogitatione quam maxime se ad unumquodque conferret, neque visum in excogitando adhibens, neque sensum prorsus illum ratiocinationi coniungens, sed ipsa per se cogitatione syncera utens, ipsum per se quodlibet syncerum existens studeret venari quam maxime ab oculis, ab auribus, et ut summatim dicam a toto corpore liber, utpote perturbante animum neque permittente veritatem sapientiamque assequi, siquando in communionem recipiatur? An non hic erit, o Simmia, si quis unquam alius, qui quod vere est assequetur?

SIMMIAS: Mirifice vero loqueris, o Socrates, inquit Simmias.

SOCRATES: Nonne igitur, inquit, ex his omnibus necessario sequitur opinionem eiusmodi veris philosophis usqueadeo constare debere, ut inter se talia quaedam loquantur? Nos quadam rationis ipsius via videmur ad id considerandum perduci: quandiu corpus habemus, animusque noster tanto malo erit admixtus, nunquam id quod desideramus abunde consecuturos. Impedimenta enim pene innumerabilia corpus praebet propter necessariam eius alimoniam. Praeterea morbi nobis hinc incidentes investigationem veritatis impediunt; amoribus, cupiditatibus, timoribus, variisque imaginibus multis denique nugis nos implet, ut verissime dicatur nunquam nobis ab illo permitti ut quicquam rectum sapiamus. Nam ad bella, ad seditiones, ad pugnas nihil aliud quam corpus eiusque cupiditates impellunt. Omnia enim bella pecuniarum gratia fiunt. Pecunias autem quaerere cogimur corporis gratia, cultui eius inservientes; atque ita fit ut propter haec omnia a philosophiae studiis abstrahamur. Extremum vero omnium est, quod si quid ab ipso otii nobis contingat, nosque ad considerandum aliquid conferamus, investigantibus nobis rursus ubique sese opponens tumultu quodam perturbat animum, et quasi perstrepens reddit attonitum, adeo ut hoc

obstaculo impediti verum perspicere nequeamus.

SOCRATES: Ceterum nobis re vera demonstratum est, siquando sumus pure aliquid intellecturi, recedere a corpore oportere, atque ipso animo res ipsas considerare. Atque tunc, ut apparet, compotes evademus eius quod affectamus cuiusve amatores profitemur nos esse, scilicet sapientiae, cum videlicet mortui fuerimus, quemadmodum nostra indicat oratio; dum autem vivimus, nequaquam. Etenim si nihil cum corpore pure discerni potest, e duobus alterum: aut nunquam possumus scientiam consequi, aut post mortem. Tunc enim animus ipse per seipsum erit seorsum a corpore, prius vero nequaquam. Atque dum vivimus, ita ut videtur, proxime ad scientiam accedemus, si quam minimum cum corpore commercium habuerimus, neque quicquam cum illo communicaverimus nisi quantum summa cogat necessitas, neque eius natura replebimur, sed ab eius contagione cavebimus, quoad deus ipse nos solvat. Atque ita puri et a corporis insipientia liberati, ut consentaneum est, cum talibus erimus, cognoscemusque per nos ipsos syncerum quodlibet, id est fortan ipsum verum: nam impuro quidem purum attingere nefas est. Talia equidem, o Simmia, iudico necessarium esse omnes recte discendi cupidos loqui inter se atque opinari. An non tibi sic videtur?

SIMMIAS: Et maxime quidem omnium, o Socrates.

SOCRATES: Si haec igitur, inquit, vera sunt, o amice, magna spes est eum qui pervenerit illuc quo nunc ego proficiscor, si usquam alibi, id illic abunde consecuturum cuius gratia tantum nos negotii in praesenti vita suscepimus. Hanc ergo migrationem, in praesentia mihi impositam, bona spe suscipio: similiterque quivis alius suscipiet, qui modo putat praeparatam sibi mentem tanquam purificatam.

SIMMIAS: Ita prorsus, inquit Simmias.

SOCRATES: Purificatio vero, inquit, nonne in hoc consistit quod iamdudum dicebamus, videlicet ut quam maxime possumus animum a corpore disiungamus, eumque assuefaciamus per se undique a corporis contagione sevocari et colligi, itaque (quo ad eius fieri potest) et in praesenti tempore et in futuro a corpore solum per se tanquam corporis vinculis solutum habitare?

SIMMIAS: Maxime quidem, inquit.

SOCRATES: Nonne igitur hoc mors appellatur, solutio et separatio animae a corpore?

SIMMIAS: Prorsus, inquit.

SOCRATES: Solvere vero ipsum, ut diximus, student maxime, et soli, qui recte philosophantur; atque haec ipsa philosophorum meditatio videtur, solutio et separatio animae a corpore. An non?

SOCRATES: Nonne igitur, ut in principio dicebam, ridiculum foret, si vir qui ita per omnem vitam se comparasset ut quam proxime morti accederet, sic viveret, ut ea deinde adveniente indignaretur? Nonne ridiculum? Quidni? Re vera igitur, inquit, o Simmia, recte philosophantes mortem commentantur, atque ab ea minime omnium perterrentur. Ita vero considera. Cum enim corpus quidem ubique aspernentur, animum vero ipsum cupiant per seipsum habere, nonne summa esset absurditas si tunc, quando id evenit, expavescant molesteque ferant, neque libenter illuc proficiscantur quo, quum pervenerint, spes est eo quod amabant in vita potiri (amabant autem sapientiam), atque eius cuius commercium moleste ferebant liberari? An vero meritoriis pueris, uxoribus, liberis defunctis multi sponte voluerunt ad inferos proficisci, sperantes eos ibi videre cum eisque versari quos amaverant: sapientiae autem verus amator, vehementer in hanc ipsam spem adductus, non alibi eam pro dignitate se comparaturum quam apud inferos, morte aegre feret, ac non libenter illuc migrabit?

SOCRATES: Arbitrari quidem, o amice, oportet, si vere philosophus sit, magnopere apud ipsum hanc opinionem valere, ut non alibi puram sapientiam posse assequi speret quam illic. Si autem hoc ita se habet, nonne quemadmodum modo dicebam praeter rationem foret omnino, si mortem vir eiusmodi formidaret?

SIMMIAS: Per Iovem, inquit Simmias, contra rationem.

SOCRATES: Sufficiens ergo coniectura erit, inquit, si quem videris moleste mortem ferre, eum non esse philosophum, sed philosomaton quendam, id est corporis amatorem, atque eundem ferme philochrematon et philotimon, id est pecuniarum honorumque cupidum: aut talem, ut alterum horum affectet, aut utrumque.

SIMMIAS: Omnino ita est, ut ais, inquit.

SOCRATES: Proinde quae, o Simmia, fortitudo nominatur, an non viris eiusmodi maxime convenit?

SIMMIAS: Maxime, inquit.

SOCRATES: Nonne et temperantia (quam quidem etiam multi eam esse aiunt, quae facit ne cupiditatibus servi simus, sed eas contemnamus modestiamque servemus) duntaxat convenit qui corpus despiciunt maxime atque in philosophia vivunt?

SIMMIAS: Necesse est, inquit.

SOCRATES: Si enim consideraveris fortitudinem temperantiamque aliorum, tibi perabsurda videbitur. Scis utique ceteros omnes mortem unum ex maximis malis existimare. Et maxime, inquit. Nonne igitur maiorum metu malorum, quicunque inter eos fortes sunt sustinent mortem, quando sustinent? Profecto. Metuendo igitur, atque metu, fortes sunt omnes praeter philosophos: etsi absurdum est metu vel timiditate aliquem esse fortem.

SOCRATES: Quid autem qui inter eos moderati dicuntur? nonne simili quodam pacto affecti sunt, intemperantia videlicet quadam temperati? quanquam impossibile id esse dicimus. Veruntamen illis evenit affectio quaedam huic similis, in ista eorum fatua temperantia. Timentes enim ne aliis careant voluptatibus, easque appetentes, a ceteris abstinent, ab aliis superati: etsi vocant intemperantiam a voluptatibus superari; veruntamen accidit eis, ut superati a voluptatibus alias superent voluptates. Iam vero id illi simile est quod modo dicebatur, scilicet quodam modo per intemperantiam fieri temperatos.

SOCRATES: Simile quidem. Atqui vide, o beate Simmia, ne haud quaquam recta sit ad virtutem via, voluptates videlicet voluptatibus, dolores doloribus, et metum metu, et maius minori tanquam nummos commutare: sed ille duntaxat rectus sit nummus quo haec omnia oporteat commutari, scilicet prudentia, in quo et cum quo omnia empta ac vendita re vera sunt, et fortitudo et temperantia et iustitia, ac summatim vera virtus cum prudentia, sive adsint sive absint voluptates et timores ceteraque generis eiusdem. Sin autem a prudentia segregata invicem commutantur, adumbratio quaedam sit eiusmodi virtus, ac re vera servilis, nihil sani verique possidens. Virtutis autem veritas in horum omnium purificatione re vera consistit, et temperantia et iustitia et fortitudo, et prudentia ipsa sit purificatio quaedam.

SOCRATES: Quamobrem hi qui mysteria nobis constituerunt minime contemnendi videntur, sed re vera iamdudum occulte nos admonuere, quod quicunque non expiatus nec initiatus migrabit ad inferos, iacebit in luto; quicunque vero purgatus atque initiatus illuc accesserit, cum diis habitabit. Sunt enim (ut vulgo aiunt) qui in mysteriis versantur thyrsigeri quidem multi, Bacchi vero pauci. Hi vero, ut equidem opinor, non alii sunt quam qui recte philosophati sunt. Quorum quidem in numero ut essem, nihil in vita quantum in me fuit praetermisi, sed omnibus modis contendi. An vero recte contenderim, aliquidve profecerim, quum illuc pervenerimus certo sciemus, si Deus voluerit, paulo post, ut mihi videtur.

SOCRATES: Hanc igitur excusationem affero, o Simmia et o Cebes: quod cum vos eosque qui hic sunt dominos relinquam, merito neque aegre feram neque indigner; spero enim me et illic non minus quam hic bonos dominos amicosque inventurum. Multi vero id minime credunt. Si igitur defensio mea vobis magis quam Atheniensibus iudicibus persuaserit, bene se res habet. Tunc Cebes sic inquit: Cetera quidem, o Socrates, recte dicta videntur; in eo vero quod de anima dicitur, ambigunt homines, ne anima a corpore separata nusquam amplius sit, sed eo ipso die quo homo moritur statimque seiuncta a corpore dissolvatur, atque egrediens quasi ventus aut fumus dissipetur atque evanescat, neque usquam ulterius omnino sit aliquid. Profecto si esset alicubi collecta in se metipsam, et ab his malis quae tu modo narrabas liberata, multa nimirum bonaque spes esset, o Socrates, vera quae dicebas fore. Ceterum ad id fortasse persuasione fideque non parva opus est, ut credatur superesse animam post interitum hominis, atque aliquam vim intelligentiamque habere. Vera, o Cebes, loqueris, inquit Socrates. Verum quid agendum censes? an forte de his ipsis confabulandum, utrum ita esse an aliter probabile sit? Libenter equidem, inquit Cebes, audirem de his rebus quid sentias. Neminem arbitror, inquit Socrates, haec audientem, ne si comoedus quidem sit, esse dicturum nugari nunc me, ac de quibus minime oporteat verba facere. Si ergo placet, oportetque considerare, id hoc pacto consideremus, utrum videlicet apud inferos sint mortuorum animae necne. Vetus quidem hic extat sermo, cuius memores sumus, superesse animas quae hinc illuc abierunt rursusque huc reverti fierique ex mortuis. Atqui si hoc verum est, ut ex mortuis iterum viventes fiant, essent animae illic nostrae. Neque enim rursus fierent, si non essent. Atque haec sufficiens coniectura est ita esse, si re vera constet haud

aliunde viventes fieri quam ex mortuis. At vero nisi id sit, alia opus erit ratione. Omnino, inquit Cebes. Neque vero id in hominibus solum, inquit, si planius intelligere vis, consideres, sed in animalibus omnibus et plantis, atque ut summatim dicam in omnibus quae gignuntur, utrum omnia sic fiant, neque aliunde quam ex contrariis contraria, quibuscunque tale aliquid contingit: quemadmodum pulchrum turpi quodammodo contrarium est, et iustum iniusto, aliaque eiusmodi quamplurima videmus. Consideremus utrum necessarium sit cuicunque aliquid est contrarium, non aliunde id quam ex suo contrario fieri. Veluti quando quid maius efficitur, necesse est ex eo quod ante fuerat minus postea maius evadere. Ita est. Nonne et si minus aliquid fiat, ex eo quod ante maius erat postea fiet minus? Sic omnino. Quinetiam ex robustiori debilius, ex tardiori velocius? Prorsus. Quid vero? si quid evadat deterius, nonne ex meliori? et si iustius, ex iniustiori? Quidni? In omnibus igitur satis id exploratum habemus, omnia ita fieri, contraria videlicet ex contrariis. Prorsus. Quid rursus? Estne etiam aliquid tale in ipsis, inter contraria duo, duae videlicet inter illa generationes, sive progressiones, ab altero quidem in alterum, atque in alterum vicissim ab altero? Etenim inter maius atque minus medium obtinent incrementum et decrementum; dicimusque id quidem crescere, illud vero decrescere. Ita, inquit. Nonne similiter discerni vicissim atque confundi, frigescere et incalescere, omniaque eodem pacto? Et si nomina nobis desunt alicubi, re tamen ipsa ubique ita necesse est fieri, videlicet omnia ex contrariis invicem, generationémque esse utriusque vicissim in alterum? Omnino quidem, inquit. Quid vero? ei quod est vivere, estne aliquid contrarium, quemadmodum ei quod est vigilare dormire contrarium? Sic est omnino, inquit. Quidnam? Mori, inquit. Annon ex se invicem haec fiunt, siquidem contraria sunt? Cumque duo sint, duae quoque inter haec generationes mutuae? Nihil prohibet. Alteram quidem coniugationem eorum quae modo dicebam ego tibi dicam, inquit Socrates, tam ipsam quam generationes eorum; tu vero mihi aperies alteram. Dico autem illud quidem dormire, illud autem evigilare, atque ex somno vigiliam fieri, et ex vigilia somnum: horumque generationes hanc quidem connivere, illam vero expergisci. Satisfeci tibi necne? Satisfecisti certe. Dic tu mihi quoque similiter de vita atque morte. Annon contrarium vivere dicis esse atque mori? Equidem. Et ex se invicem fieri? Ita. Ergo ex vivente quidnam fit? Mortuum. Quid autem ex mortuo? Necesse est confiteri vivens. Igitur ex mortuis, o

Cebes, viventia fiunt atque viventes. Apparet. Sunt igitur apud inferos animae nostrae? Videtur. Nonne ergo et generationum quae circa haec sunt altera quidem manifesta est? Mori enim manifestum est, nonne? Ita prorsus. Quidnam igitur faciemus? Non reddemus vicissim generationem huic contrariam, sed hac in re duntaxat mancam dicemus naturam esse? An vero necesse est reddere ei quod mori est contrariam quandam generationem? Omnino. Quam vero istam? Reviviscere. Nonne igitur, si reviviscentia est, progressio quaedam haec est ex mortuis ad viventes? Est utique. Convenit ergo nobis hac insuper ratione viventes ex mortuis fieri nihilominus quam mortuos ex viventibus. Quod cum ita sit, sufficientem coniecturam hinc haberi, animas mortuorum necessario alicubi esse, unde iterum revertantur. Videtur mihi, o Socrates, hoc ex his quae concessa sunt necessario sequi. Animadverte ergo, inquit, o Cebes, haud abs re nos haec, ut arbitror, concessisse. Nisi enim continue altera vicissim alteris redderentur, quasi duntaxat ex altero in eius oppositum, neque rursus reflecterentur in alterum facerentque regressum, omnia tandem, mihi crede, eandem subirent figuram atque affectionem fierique cessarent. Quonam id pacto dicis, inquit? Haudquaquam intellectu difficile est, inquit, quod loquor. Perinde enim ac si in somnum caderetur quidem, ab eo vero in vigiliam nunquam resurgeretur, minime te latet omnia tandem eo deventura, ut Endymion ridicula quaedam fabula videatur, neque appareat usquam, cum cetera quoque universa somno similiter opprimantur. Proinde si confunderentur quidem omnia, nunquam vero discernerentur, Anaxagorae illud repente contingeret, universa videlicet esse simul. Eadem ratione, o amice Cebes, si quaecunque vitam acceperint moriantur, mortua vero cum fuerint mortua relinquantur neque iterum reviviscant, an non necessarium est omnino cuncta demum interiisse, nihilque vivere? Nam si ex aliis quidem viventia fierent, postea vero perirent, quid obstaret quo minus in interitum cuncta consumerentur? Nihil prorsus, o Socrates, inquit Cebes, sed mihi omnino vera loqui videris. Est certe, o Cebes, inquit, maxime omnium ita, ut mihi videtur: neque nos haec ipsa quasi decepti confessi sumus, sed re vera reviviscentia est, atque ex mortuis viventes fiunt, mortuorúmque supersunt animae, bonis quidem melius est, malis vero peius. Atqui et secundum illud, o Socrates, inquit Cebes, quod frequenter usurpare soles, si modo verum est, disciplinam videlicet nostram nihil esse aliud quam reminiscentiam, et secundum hoc, inquam, necesse est nos in superiori

quodam tempore ea quorum nunc reminiscimur didicisse. Id vero fieri non posset, nisi prius alicubi fuisset anima nostra quam in hanc humanam speciem deveniret. Quamobrem et hac ratione immortale quiddam anima videtur esse. At quales huius rei demonstrationes, inquit Simmias, habes, o Cebes? Reducito mihi in memoriam: non enim satis in praesentia memini. Una quidem ratio est pulcherrima, inquit Cebes, quod interrogati homines, si quis eos recte interroget, ipsi omnia quemadmodum sunt respondent. Atqui nunquam id facere possent, nisi inesset ipsis scientia rectaque ratio. Deinde si quis eos ad geometricas figuras descriptionesque, vel simile aliquid converterit, ibi manifeste comperiet ita id se habere. Si haec, o Simmia, ratio, inquit Socrates, tibi non satisfacit, attende an sic tibi consideranti idem quod nobis videatur. Diffidis enim eam quam disciplinam vocant reminiscentiam esse posse. Haud equidem diffido, inquit Simmias; veruntamen id expedit mihi discere de quo sermo est, scilicet reminisci. Ac ferme ex his quae Cebes coepit dicere iam recordor et credo. Nihilo minus tamen et a te qua ratione id modo probare ipse aggrediebaris perlibenter audirem. Hac equidem ratione, inquit Socrates, confitemur sane quodammodo, si quis alicuius reminiscatur, oportere ipsum prius aliquando id sciisse. Prorsus, inquit. Nunquid ergo et hoc confitemur, inquit, quoties scientia hoc modo provenit, reminiscentiam eam esse? Dico autem hoc pacto. Si quis aliud quoddam viderit, vel audiverit, vel alio perceperit sensu, neque solum idipsum cognoscat, verum etiam agnoscat aliud quiddam cuius non una eademque sed alia scientia sit, nonne merito dicemus hunc eius rei reminisci in cuius pervenerit notionem? Quonam pacto id dicis, inquit Simmias? Hoc, inquit Socrates. Alia quodammodo hominis scientia est, alia lyrae. Quidni, inquit Simmias? An ignoras hoc amantibus evenire, cum lyram aut vestem aut quid aliud ex his aspiciant quibus eorum pueri amati consueverunt? Nam et agnoscunt lyram, et simul mente formam recolunt pueri cuius erat lyra. Hoc vero est reminisci. Ceu si quis cum Simmiam viderit saepe, Cebetis recordetur; et cetera eiusdem generis infinita. Infinita per Iovem, inquit Simmias. Annon igitur, inquit, tale quiddam recordatio quaedam est? Maxime vero, si id nobis in illis contingat rebus quas longitudine temporis et negligentia oblivioni iam tradiderimus? Ita certe, inquit Simmias. Quid vero, inquit Socrates? Contingitne ut qui equum pictum viderit pictamque lyram, reminiscatur hominis? Atque cum pictum aspexerit Simmiam, veniat illi in mentem Cebes? Saepe utique, inquit. Nonne

evenit etiam ut qui Simmiam inspexerit pictum, ipsius quoque Simmiae recordetur? Evenit certe. Annon secundum haec omnia contingit, tum a similibus, tum a dissimilibus reminiscentiam provenire? Contingit. Verum quoties ob similia quispiam alicuius reminiscitur, an non necesse est id insuper intelligere, utrum deficiat hoc secundum similitudinem necne, ab illo cuius repetita memoria est? Necesse est. Attende sane, nunquid si haec ita se habeant, dicimus aliquid esse aequale? Non dico lignum ligno, neque lapidem lapidi, neque aliud quicquam eiusmodi, sed praeter haec omnia aliud quiddam, ipsum aequale: dicimusne aliquid esse, an nihil? Dicimus est aequale, inquit, omnino quidem. Undenam scientiam eius accepimus? Nonne ex his quae modo dicebam, ligna vel saxa vel alia quaedam aequalia videntes, ex his illud excogitavimus, cum sit ab his diversum? An non aliud tibi videtur? Considera vero et hoc pacto. Nonne saxa vel ligna, eadem cum sint, alias quidem aequalia, alias vero inaequalia apparent? Penitus. Quid autem? ipsa aequalia possunt inaequalia tibi videri? vel aequalitas inaequalitas? Nunquam, o Socrates. Quamobrem non idem sunt haec aequalia atque ipsum aequale. Nullo modo idem mihi apparent, o Socrates. Veruntamen ab his aequalibus, quae alia sunt quam ipsum illud aequale, ipsius simul excogitasti scientiam atque percepisti. Verissime loqueris. An non, sive simile ipsum sit, sive dissimile? Omnino. Nihil sane refert: quatenus enim aliud conspicatus, ex hac ipsa perspectione aliud intellexeris, sive simile sive dissimile, necesse est hinc reminiscentiam provenire. Et maxime idem. Quid vero ad id? An sic nobis contingit circa ea quae modo dicebamus, ligna et alia? Videnturne ita aequalia haec esse ut ipsum quod est aequale? An deesse potius aliquid quo minus talia sint quale est aequale ipsum, an nihil? Permultum certe deest. Nonne confitemur, quando quis aliquid intuens animadvertat appetere quidem hoc quod in praesentia videt esse tale quale quiddam aliud ex his quae sunt, verum deficere neque posse tale esse aequale quale sit illud, sed deterius esse, necesse esse eum qui animadvertit ante cognovisse illud cui dicit hoc quodam modo simile fieri, sed ad plenam similitudinem non accedere? Necesse est. Quid ergo? talene aliquid contingit et nobis necne, circa aequalia ipsumque aequale? Quam plurimum. Necesse est ergo nos aequalis ipsius scientiam ante illud tempus habuisse in quo primum, videntes aequalia, cognovimus appetere quidem haec omnia talia evadere quale est ipsum, attamen a perfectione ipsius abesse. Ita est. Atqui et hoc confitemur: nos neque aliunde id agnovisse, neque

agnoscere posse quam ex visu vel tactu vel alio quodam sensu; similiter enim de his omnibus iudico. Similiter, o Socrates, ad id de quo agitur ostendendum. Atqui a sensibus idem intellexisse oportet, omnia quae subiecta sunt sensibus illud quod est aequale appetere, quamvis ipsum non assequantur. An aliter dicimus? Haud aliter. Ante enim quam inciperemus videre aut audire aliisque uti sensibus, oportuit nos aequalis ipsius scientiam possedisse, videlicet quid ipsum sit, si modo aequalia haec quae sensibus subiacent ad ipsum adeo relaturi sumus, ut iudicemus anniti quidem haec omnia talia quale ipsum est evadere, veruntamen deteriora relinqui. Necessario, ex superioribus id, o Socrates, sequitur. Annon statim, inquit, nati vidimus et audivimus, aliosque sensus exercuimus? Omnino. Oportuit autem, ut diximus, ante haec ipsius aequalis scientiam habuisse. Oportuit. Quamobrem, ut videtur, necesse est antequam nasceremur eam comprehendisse. Sic apparet. Nonne si eam sortiti ante nativitatem ipsam iam habentes nati sumus, scivimus et ante ortum, atque statim nati non solum ipsum aequale maiusque et minus, verum etiam eiusdem generis omnia? Non enim de aequali magis nunc nobis est sermo quam de ipso pulchro, de ipso bono, de ipso iusto atque sancto, et, ut dico, de omnibus quibus proprie hoc ipsum quod est assignamus, et interrogationibus interrogantes et responsionibus respondentes: ut necessarium sit nos antequam nasceremur horum omnium scientiam habuisse. Est ita. Ac si acceptis scientiis non semper oblivisceremur, oporteret et cum ipsis nasci, semperque etiam per omnem vitam scire. Nam scire id est, acceptam alicuius rei scientiam retinere nec amisisse. An non oblivionem scientiae iacturam esse dicimus? Ita prorsus, o Socrates. Sin autem acceptam ante ortum scientiam, dum nascimur amisimus, deinde vero usi sensibus circa ipsas scientias eas quas ante habueramus recipimus, nonne id quod discere appellamus esset scientiam propriam recuperare? atque id reminisci nominantes recte nominaremus? Recte. Fieri enim id posse apparuit, videlicet ut cum quis aliquid senserit vel videndo vel audiendo vel aliter sentiendo, aliud quiddam ex hoc agnoscat cuius erat oblitus, cui quidem hoc quodammodo propinquabat, sive simile id sit sive dissimile. Itaque, quod iam idem dico, e duobus alterum: aut enim scientes nati sumus scimusque per omnem vitam omnes, aut quos deinde dicimus discere duntaxat reminiscuntur, atque disciplina reminiscentia est. Sic omnino se res habet, o Socrates. Utrum igitur eligis, o Simmia? vel cum scientia nos esse natos, vel reminisci postea quorum prius scientiam

accepimus? Ambigo utrum in praesentia, Socrates, eligam. Quid vero? potesne eligere, quid de hoc videatur tibi? Vir sciens potestne eorum quae scit reddere rationem, an contra? Necesse est, o Socrates, posse. An vero tibi videntur omnes rationem de his quae modo tractavimus afferre posse? Optarem equidem, inquit Simmias, sed multo magis vereor ne cras nullus hic homo sit qui pro dignitate id sciat afficere. Non igitur, o Simmia, putas omnes hoc intelligere? Nullo modo. Reminiscuntur ergo quae aliquando scientiam acceperunt? Necesse est. Quando vero anima nostra eam scientiam accepit? Non enim postquam homines nati sumus. Non sane. Antea ergo. Ita. Erant igitur, o Simmia, animae et prius quam in humana specie essent, seorsum a corpore, atque intelligentiam habebant. Nisi forte, o Socrates, his temporibus quibus nascimur eas scientias accipimus: nam id etiam tempus reliquum est. Esto, o amice. Sed quonam alio tempore eas amittimus? Non enim habentes iam eas nascimur, ut modo confitebamur. An in eodem perdimus quo et accepimus? an aliud tempus efferre potes? Nullo, o Socrates, modo, sed nihil me dicere minime animadvertebam. An ergo sic nobis se res habet, o Simmia? Siquidem sunt ea quae quotidie praedicamus, pulchrum scilicet quiddam atque bonum, et omnis eiusmodi essentia, ad quam omnia sensibus percepta referimus, quae et prius erat nostra, et tanquam nostram invenimus, et haec ad ipsius exemplar referimus: necesse est ita, ut et ipsa sunt, nostram quoque animam prius etiam quam nasceremur extitisse. At si haec non sunt, frustra utique ratio haec tractata esset. An non ita se habet, atque par necessitas est, et ipsa esse, et animas nostras antequam nasceremur, et nisi ipsa sunt neque haec utique sunt? Mirifice, o Socrates, inquit Simmias, eadem mihi videtur esse necessitas, atque pulcherrime huc ratio nos perducit, ut similiter tam animam nostram quam essentiam ipsam quam modo dicebas, ante quam nasceremur extitisse confiteamur. Nihil enim tam certum habeo quam esse eiusmodi omnia, et quidem maxime, scilicet pulchrum ipsum et bonum aliaque omnia quae tu modo dicebas. Et quantum ad me attinet, satis est demonstratum. Quid vero videtur Cebeti? inquit Socrates. Oportet enim et Cebeti quoque persuadere. Satis et illi arbitror persuasum, inquit Simmias, quamvis omnium repugnantissimus sit et ad credendum tardissimus. Opinor tamen sufficienter illi probatum, ante ortum nostrum animam extitisse. An vero post interitum nostrum etiam futura sit, nec mihi quidem ipsi, o Socrates, satis adhuc videtur ostensum. Sed nunc etiam restat multorum dubitatio illa quam in medium

Cebes adduxerat, ne videlicet, homine moriente, simul anima dissipetur atque ita esse desinat. Quid enim prohibet fieri quidem illam et aliunde constitui, atque esse prius etiam quam in corpus hominis laberetur, postquam vero ab eo discesserit tunc illam insuper interire? Recte loqueris, o Simmia, inquit Cebes. Videtur enim quasi dimidium eius quod oportet probatum, ante videlicet quam nasceremur nostram animam extitisse; oportere autem id quoque ostendere, postquam mortui fuerimus non minus fore quam esset antequam nasceremur, si modo finis sui demonstratio sit habitura. Demonstratum quidem est, inquit Socrates, istud, o Simmia et o Cebes, etiam nunc, si modo velitis et id quod modo probatum est et illud quod ante concesseramus in unum conectere, videlicet omne vivens ex mortuo fieri. Si enim est anima prius, et cum in hanc venit vitam fitque homo, necesse est non aliunde eam quam ex mortuis proficisci: cur non necessarium sit ut etiam post mortem corporis maneat, quum oporteat ipsam ad hanc vitam reverti? Demonstratum igitur et nunc est quod dicitur. Veruntamen videmini tu atque Simmias cupere rursus idem diligentius pertractari, ac forsitan puerorum more formidatis, ne re vera, corpore egrediente, ventus animam dissolvat atque dispergat, praesertim si quis non sereno caelo, sed ventis vehementius flantibus moriatur. Ad haec Cebes subridens, tanquam nobis id formidantibus, inquit, o Socrates, contra persuadere; immo vero non tanquam formidantibus nobis, sed fortasse est inter nos puer aliquis talia metuens: huic ergo annitamur persuadere, ne mortem ceu larvam pertimescat. Oportet certe, inquit Socrates, huic mederi carminibus quotidie, quoad sanus efficiatur. Sed ubinam, inquit Cebes, medicum eiusmodi nanciscemur, o Socrates, quando tu nos deseris? Ampla est, inquit, o Cebes, Graecia, in qua sunt viri boni; quam plurimae sunt barbarae nationes, per hos omnes eiusmodi medicum debetis perquirere, neque pecuniis parcentes neque laboribus. Nihil est enim pro quo commodius pecunias expendatis. Perscrutandum quoque est etiam inter vos ipsos: forte enim non facile invenietis qui melius quam vos id queat efficere. Fiet quidem, inquit Cebes; sed redeamus iam, si tibi placet, unde digressi sumus. Mihi quidem placet, inquit. Quid enim prohibet? Recte respondes, inquit Cebes. Annon tale aliquid, inquit, a nobis ipsis sciscitari debemus, cuinam conveniat ea passio per quam dissolvi possit, et cui metuendum ne id patiatur, et secundum quam eius partem? deinde considerare utrum anima sit, demum ex his animae nostrae gratia vel confidere vel timere? Vera loqueris, inquit.

Nonne igitur ei quod componitur iamque compositum est, natura id pati convenit, ut quatenus est compositum dissolvatur? quod vero non sit compositum, huic soli convenit non eadem pati quae alii cuipiam? Mihi quidem sic apparet, inquit Cebes. Annon quae semper secundum eadem eodemque modo se habent, haec maxime esse convenit simplicia? quae vero alias aliter nec unquam secundum eadem, haec esse composita? Ita equidem opinor. Redeamus iam ad illa ad quae in superiori disputatione processimus. Ipsa essentia, cuius interrogando respondendoque rationem reddimus, utrum eodem modo et secundum eadem se semper habet, an alias aliter? Ipsum aequale, ipsum pulchrum, unumquodque quod est ipsum per seipsum, eodem modo et secundum eadem se habet, neque unquam neque usquam nec ullo pacto mutationem aliquam suscipit? Necesse est, o Socrates, haec, inquit Cebes, eodem modo et secundum eadem se semper habere. Quid autem dicemus de multis, inquit, quae similiter pulchra dicuntur, scilicet hominibus, equis, vestibus, vel aliis quibuscunque talibus, quae vel pulchra dicuntur vel aequalia, vel etiam de omnibus quae illis synonyma sunt? num haec secundum eadem se semper habent, an potius omnino contra quam illa, videlicet neque ipsa sibi, neque invicem unquam, ut simpliciter loquar, ullo pacto secundum eadem eodemque modo se habent? Haec, o Socrates, inquit Cebes, nunquam eodem modo sunt. Et haec quidem tangi, videri, aliisque sensibus attingi possunt; quae vero semper secundum eadem permanent, non alio modo quam sola intelligentiae ratione percipiuntur, suntque invisibilia quae talia sunt, neque cernuntur. Vera omnino loqueris, inquit. Vis ergo duas rerum species ponamus, alteram visibilium, invisibilium alteram? Ponamus, inquit. Et invisibile quidem modo semper eodem esse, visibile vero nunquam eodem? Hoc quoque ponamus, inquit. Age iam, aliudne in nobis est quam hoc quidem corpus, illud vero anima? Nihil aliud, inquit. Utrinam speciei corpus esse similius cognatiusque dicimus? Nemini dubium, inquit, quin visibili. Quid vero anima? Visibilene aliquid est, an contra? Non hominibus quidem, o Socrates, inquit. Atqui nos de iis duntaxat quae ab hominum natura videri vel non videri possunt loquebamur: an de iis quae ad aliam naturam spectant, tractabamus? De iis duntaxat quae ad humanam, inquit. Quid ergo de anima dicebamus, visibilem esse an invisibilem? Non visibilem. Invisibilem ergo? Ita. Anima igitur invisibili speciei similior est quam corpus; hoc vero visibili. Necessarium id est omnino. Annon et hoc evenire in superioribus dicebamus,

ut cum anima ad aliquid considerandum socium sibi corpus assumit, vel per visum vel per auditum vel per alium sensum (hoc enim est per corpus considerare, quia per sensus id agitur), tunc quidem a corpore trahatur ad ea quae nunquam eodem modo sunt, atque ipsa aberret perturbeturque, quasi ebria vacillet, utpote quae talia quaedam attigerit? Prorsus. At vero quoties ipse animus per seipsum excogitat, illuc se confert ad purum, sempiternum, immortale, semper eodem modo se habens, et tanquam ipsius cognatus semper inhaeret illi, quoties ipse redierit in seipsum eique liceat, cessétque ab errore, et circa illa semper secundum eadem eodem modo se habet, utpote qui talia iam attigerit. Atque haec eius affectio prudentia nominatur. Praeclare, inquit, ac vere omnino loqueris, o Socrates. Utri igitur speciei rursus tibi videtur, ex his quae et in superioribus et modo dicta sunt, anima esse similior atque cognatior? Arbitror equidem, o Socrates, inquit, quemlibet vel indocilem prorsus et pertinacem ex hac discursione concessurum, animam et per totum et per omne similiorem esse ei quod semper eodem modo est quam opposito. Quid autem corpus? Alteri speciei. Considera rursus hoc pacto. Quandiu in eodem sunt anima atque corpus, hoc quidem servire atque subesse natura iubet, hanc vero praeesse atque dominari. Secundum haec rursus utrum tibi videtur simile esse divino, utrum mortali? An non putas divinum quidem tale esse natura ut praesit et ducat, mortale vero ut subiiciatur ac serviat? Puto equidem. Utri igitur horum est anima similis? Constat, o Socrates, animam quidem similem esse divino, corpus vero mortali. Animadverte iam, o Cebes, num haec ex omnibus quae a nobis dicta sunt consequantur: videlicet ipsi divino, immortali, intelligibili, uniformi, indissolubili, semper eodem modo et secundum eadem seipsum habenti, animam esse simillimam; humano vero, mortali, nec intelligibili, multiformi, dissolubili, nunquam eodem modo sibi ipsi se habenti, simillimum esse corpus. Possumusne, o amice Cebes, praeter haec aliud quicquam afferre, quo minus ita sit? Non possumus. Quid ergo? Cum haec ita se habeant, nonne corpori convenit ut brevi solvatur, animae vero ut omnino indissolubilis sit, vel aliquid rei omnino indissolubili propinquum? Quidni? Cernis igitur, postquam mortuus homo fuerit, quod in eo visibile est corpus, et in loco visibili positum, quod cadaver appellamus, cui convenit ut dissolvatur concidatque et diffluat, nihil horum subito pati, sed si quis corpore perbelle affecto decesserit, satis multo tempore, idque etiam in ea ipsa vetustate,

permanere? Corpus enim exarefactum et conditum, quemadmodum in Aegypto faciunt, incredibile quoddam tempus ferme integrum manet. Quinetiam si putrescat, tamen quaedam eius, ut ita dicam, immortalia permanent. An non? Ita. Anima vero, si pura discedat nihil corporis secum trahens, utpote quae nullo in vita libenter cum eo communicaverit, sed ipsum fugerit seque in se collegerit, tanquam semper id meditata (quod quidem nihil est aliud quam recte philosophari, mortemque vere facile meditari): an non haec est meditatio mortis? Est omnino. Anima igitur sic affecta nonne ad sibi simile, divinum, immortale, sapiens abibit? quo cum pervenerit, evadit felix, ab errore, ignorantia, timoribus, amoribus ceterísque humanis liberata malis, et, quemadmodum de initiatis dici solet, re vera reliquum tempus cum diis agit. Itane dicendum est, o Cebes, an aliter? Ita per Iovem, inquit Cebes. Sin autem polluta impuráque a corpore decedat, utpote quae corpus semper amplexa ipsum duntaxat coluerit et amaverit, eiúsque voluptatibus et cupiditatibus quasi veneficiis quibusdam delinita fuerit, et usqueadeo capta ut nihil aliud putet verum nisi quod corporeum sit, quod tangi, quod videri possit, quódve bibat et edat et quo in venereis utatur; quod vero oculis quidem obscurum et invisibile sit, veruntamen intelligibile et philosophia comprehendendum, habere odio consueverit formidaréque et fugere: sic, inquam, institutam animam putásne ipsam per se sinceram evadere? Nullo modo, inquit. Sed infecta involutáque, ut arbitror, contagione corporis, quam consuetudo congressúsque cum corpore propter continuam familiaritatem plurimúmque eius cultum effecit quasi connatam? Ita putamus. Ponderosum vero, o amice, id putandum est, et grave terrenúmque et visibile; quod anima eiusmodi secum trahit, ideóque ab eo gravatur et rursus ad visibilem trahitur locum, metu invisibilis atque occulti; et, quemadmodum fertur, circa monumenta sepulchráque versatur, circa quae iam nonnulla apparuerunt animarum umbrosa phantasmata, qualia praeferunt simulacra tales animae, quae videlicet non purae decesserunt a corpore sed visibile aliquid trahentes: unde fit ut videri possint. Consentaneum est, o Socrates. Consentaneum tamen, o Cebes, non esse has bonorum animas, sed malorum, quae circa haec oberrare coguntur, poenas dantes vitae improbe actae. Itaque tam diu circumvagantur, quoad cupiditate naturae corporeae comitante rursus induant corpus; induunt autem, ut decens est, eiusmodi mores quales in vita exercuerunt. Quales dicis mores, o Socrates? Eiusmodi: eos qui ventri,

petulantiae, gulae dediti vitam egerunt, neque quicquam pensi pudorísve habuerunt, decens est asinorum formas et eiusmodi brutorum subire. An non putas? Consentanea loqueris. Qui vero iniurias, tyrannides, rapinas prae ceteris secuti sunt, in luporum, accipitrum, miluorum genera par est transire. Num alio has migrare dicendum est? Ita potissimum, inquit Cebes. Similiter, inquit ille, et in ceteris: abeunt enim in genera quaelibet quibus in vita mores similes contraxerunt. Manifestum, inquit. Quidni? Nonne horum felicissimi sunt et in optimum proficiscuntur locum, quicunque popularem vilémque virtutem, quam temperantiam et iustitiam nominant, exercuere absque philosophia quidem atque mente, sed consuetudine exercitationéque acquisitam? Quonam pacto felicissimi sunt? Quoniam decens est hos in tale quoddam rursus civile miteque genus demigrare, aut apum aut vesparum aut formicarum, aut etiam in idem rursus genus humanum, modestósque ex illis homines fieri. Ita decet. In deorum vero genus nulli fas est pervenire, praeter quam iis qui discendi cupiditate flagrantes et philosophati sunt et puri penitus decesserunt. Horum quidem gratia, o amice Simmia atque Cebes, qui recte philosophantur ab omnibus corporis cupiditatibus abstinent, atque ita perseverant, nec se illis unquam dedunt, neque familiae iacturam paupertatémque formidant, quemadmodum multi pecuniarum cupidi; neque rursus contemptum atque ignominiam, quemadmodum qui magistratus ambiunt et honores: deinde ab his abstinent. Neque enim deceret, o Socrates, inquit Cebes. Non per Iovem. Quamobrem hi qui animum suum curant, neque corpori colendo serviunt, spretis his omnibus haud quaquam ea graduntur via qua superiores illi quos narravimus, quia videlicet quo proficiscantur ignorant. Ipsi vero, existimantes philosophiae eiúsque solutioni et purgationi repugnandum non esse, hanc ea sequuntur via qua eos ipsa ducit. Quonam pacto, o Socrates? Dicam equidem, inquit. Cognoscunt profecto viri discendi cupidi quod philosophia eorum animam suscipit re vera ligatam in corpore atque implicitam, ac per ipsum quasi per carcerem quendam res considerare coactam; cúmque per seipsam id non faciat, omni prorsus inscitia involutam. Cognoscunt praeterea quemadmodum philosophia, perspiciens quam graviter corporeum vinculum astringat animam (quippe cum per ipsam fiat concupiscentia, per quam devinctus animus adiutor sit ad seipsum vinciendum), eorum animam ita constitutam suscipiens, paulatim consolatur solvereque conatur, ostendens plenum

quidem fallaciae esse per oculos intuitum, plenum etiam per aures ceterósque sensus iudicium, suadens ab his discedere seque in se revocare atque colligere, nec ulli credere praeterquam sibi, quatenus videlicet ipsa per seipsam intelligat quodlibet eorum quae sunt per seipsum; quod vero ipsa per alia consideret, existens in aliis aliud, nihil existimare verum: esse vero eiusmodi quidem sensibile atque visibile, quod autem ipsa per se consideret intelligibile atque invisibile. Huic ergo solutioni veri philosophi animus repugnandum non esse iudicans, sic a voluptatibus, cupiditatibus, doloribus, timoribus pro viribus abstinet, iudicans quod, quando quis vehementer delectatur vel metuat vel doleat aut cupiat, haud tantum ab his patiatur malum quantum quis forsan existimarit (videlicet si propter concupiscentias vel aegrotet quispiam vel pecunias consumpserit), sed quod malorum omnium maximum et extremum est perpetitur, neque tamen illud animadvertere. Quidnam hoc, o Socrates, est, inquit Cebes? Quod videlicet cuiuslibet hominis anima cogitur, dum delectatur simul vel dolet circa aliquid vehementer, putare illud circa quod hoc maxime patitur manifestissimum esse atque verissimum, cum longe sit secus. Haec autem maxime sunt quae visibilia sunt, nonne? Omnino. An non in hac passione anima quam maxime ligatur a corpore? Quonam pacto? Quoniam omnis voluptas atque dolor quasi clavum tenens animam corpori affigit atque conectit, efficítque corpoream adeo, ut iam opinetur ea esse vere quae suadeat corpus: nempe ex eo quod eadem opinetur cum corpore iisdémque oblectetur, cogitur, ut puto, eiusdem moris eiusdémque alimoniae fieri, ut nunquam possit pura in vitam alteram proficisci, sed semper plena corporis labe egrediatur, ideóque cito cadat rursus in aliud corpus, et quasi sata iterum nascatur, atque propterea a commercio divinae, purae, uniformis essentiae aliena prorsus evadat. Verissima, inquit Cebes, narras, o Socrates. Horum igitur gratia, o Cebes, qui iuste sunt discendi cupidi temperantiam fortitudinémque sequuntur, non autem eorum quorum gratia censet vulgus. An tu putas? Minime quidem. Non certe. Sed ita veri philosophi animus cogitaret, nec ullo modo arbitraretur, cum ipsum philosophia solvisset, oportere iterum voluptatibus doloribúsque se dedere iterúmque vinciri, atque irritum opus facere, quasi telam Penelopes retexens. Immo vero horum tranquillitati studens sequensque rationem, ac semper in ea permanens, verum et divinum opinionémque supereminens contemplatur; a quo nutritus, ita vivendum censet quam diu vivat, atque sperat se, ubi decesserit, ad cognatum

atque tale migrantem ab humanis eximi malis. Ex eiusmodi quidem educatione et exercitatione non est cur metuat, o Simmia et Cebes, ne, cum recedat a corpore, distrahatur et dissipetur, omnísque in ventos vita recedat, et superesse nihil quicquam. Cum haec Socrates dixisset, longum factum est silentium. Et ipse quidem Socrates, quae dicta fuerant, secum, ut videbatur, repetebat; idémque plerique nostrum faciebant. Cebes autem et Simmias paulúper insuper inter se locuti sunt. Hos ergo intuitus Socrates, Quidnam vobis, inquit, de his quae dicta sunt videtur? An forte aliquid insuper in his desideratis? Multae enim adhuc dubitationes obiectionésque supersunt, si quis sufficienter ea sit tractaturus. Si igitur aliud quiddam inter vos agitatis, nihil dico; sin autem in his quae dicta sunt haesitatis, ne vereamini loqui atque percurrere, si qua in parte putatis melius dici posse; quinetiam socium me assumite, si mecum id commodius fieri posse existimatis. Verum equidem, inquit Simmias, tibi, o Socrates, fatebor: iamdudum ambigens uterque nostrum impellit alterum, iubétque interrogare propter audiendi cupiditatem; veremur autem ne id tibi ob praesentem calamitatem sit ingratum. Haec Socrates audiens leniter arrisit, dicens: Papae, o Simmia, quam difficile aliis persuaderem hanc me fortunam haud quaquam adversam existimare, quando ne vobis quidem persuadere possum, quippe cum metuatis ne difficilior moestiórque sim in praesentia quam in superiori fuerim vita. Atque, ut apparet, inferior cygnis ad divinandum vobis esse videor. Illi quidem, quando se brevi praesentiunt morituros, tunc magis admodum dulciúsque canunt quam antea consueverint, laeti quod ad Deum sint cui serviunt iam migraturi. Homines vero, cum ipsi mortem expavescant, cygnos quoque falso criminantur, quod lugentes mortem ob dolorem tantum emittant; neque animadvertunt nullam esse avem quae cantet quando esuriat aut rigeat aut quovis alio dolore afficiatur, non ipsa philomela nec hirundo nec upupa, quas ferunt prae moerore cantare lugentem. At mihi neque hae aves prae dolore videntur canere, neque cygni; sed quia Phoebo sacri sunt, ut arbitror, divinatione praediti praesagiunt alterius vitae bona, ideóque cantant alacrius gestiúntque ea die quam superiori tempore. Equidem et ego arbitror me cygnorum esse conservum, eidémque Deo sacrum, neque deterius vaticinio e vita decedere. Quapropter licet vobis dicere et interrogare, donec permittunt undecim viri. Praeclare loqueris, inquit Simmias. Itaque et ego tibi aperiam qua in re dubitem, et rursus hic Cebes quidnam ex superiori disputatione

minus admittat. Mihi enim videtur, o Socrates, quemadmodum tibi quoque fortasse, de his quidem rebus manifestam veritatem in vita praesenti aut nullo modo aut summa cum difficultate intelligi posse. Quae porro de his dicuntur, ea non omni modo explorare, et non prius desistere quam examinando omnia defatigeris, mollis nimium iudico esse viri. Oportet enim circa haec alterutrum efficere: aut discere inveniréque quemadmodum se habeant, aut, si haec fieri nequeant, optimam atque tutissimam humanarum rationum eligere, qua quis tanquam rate vehatur, atque ita procellas huius vitae pertránseat, nisi nequeat firmiori quodam vehiculo vel divino aliquo verbo tutius ac minori cum periculo tranare. Atque ego nunc non verebor interrogare, praesertim cum ad hoc ipse nos adhorteris, ne forte meipsum posthac sim culpaturus quod nunc quae mihi videantur minime dixerim. Profecto mihi, o Socrates, una cum hoc Cebete tua dicta reputanti haud satis confirmata videntur. Forsan, inquit Socrates, vere, o amice, opinaris. Sed dic qua in parte minus sufficienter dicta fuisse censeas. In hac utique, inquit Simmias. Nempe de harmonia et lyra et chordis idem posset quispiam dicere: harmoniam videlicet esse in lyra rite temperata invisibile quiddam et incorporeum et perpulchrum atque divinum; ipsam vero lyram chordásque corpora esse, atque corporea et composita et terrestria et mortali cognata. Cum igitur aliquis vel lyram fregerit, vel chordas inciderit sive disruperit, poterit quis eadem qua tu ratione affirmare necessarium esse illam superesse harmoniam neque disperdi? Neque enim ullo modo fieri posset lyram quidem esse adhuc, chordis iam disruptis, atque ipsas chordas mortalis generis, harmoniam vero, quae divini et immortalis cognata erat, prius quam mortale illud interisse. Ille vero diceret adhuc esse alicubi harmoniam, atque prius ligna et chordas putrefactum iri quam illa aliquid patiatur. Arbitror equidem, o Socrates, te hoc animadvertisse, nos tale aliquid potissimum esse animam arbitrari: esse videlicet in corpore nostro intentionem et complexionem quandam ex calido, frigido, sicco, humido, ceterísque talibus, horúmque temperantia consonantiámque nostram animam esse, resultante videlicet in corpore nostro postquam haec ipsa bene moderatéque inter se temperata fuerint. Si ergo anima harmonia quaedam est, quoties nostrum corpus propter morbos aliáque mala immoderate vel remittitur vel intenditur, necesse est animam quidem, quamvis divinissimam, subito interire, sicut solent ceterae consonantiae, sive quae in vocibus sive quae in aliis artificum operibus fiunt; reliquias autem corporis cuiúsque

diutius permanere, quoad vel ardeant vel putrefiant. Considera igitur quid huic rationi respondendum, si quis censeat animam temperamentum quoddam esse eorum quae sunt in corpore, priorémque in morte perire. Tunc Socrates, quemadmodum saepe solebat, intuens acrius atque ridens, Iuste, inquit, tu quidem loqueris, Simmia. Si cui ergo vestrum uberior ad respondendum facultas est quam mihi, cur his non respondit? Non enim male rationem attigisse videtur. Iudico tamen, antequam respondeatur, quid Cebes quoque damnet esse audiendum, ut, tempore interiecto, deliberandi habeamus facultatem; deinde, his auditis, vel his concedendum si consentanea videantur afferre, sin vero minus, ratione superiore defendendam esse atque retinendam. Quamobrem dic age, o Cebes, quidnam potissimum te turbet quo minus assentiaris. Dicam, inquit Cebes. Mihi quidem videtur eodem revolvi ratio, eidémque quod in superioribus diximus crimini obnoxia esse. Quod enim fuerit anima nostra prius quam in humanam descenderet speciem, haud equidem retracto, quin bellissime dictum fuerit; ac nisi dictu esset grave, sufficienter demonstratum asseverarem. Attamen nobis mortuis animam superesse, non eo modo probatum videtur. Neque tamen Simmiae concedo obiicienti non esse animam validiorem corpore atque diuturniore: videtur enim mihi his omnibus anima praestare quam plurimum. Cur ergo, dicet aliquis, adhuc diffidis, cum videas, homine defuncto, quod in eo imbecillius fuerat superesse? Nonne tibi videtur quod diuturnius est hoc ipso in tempore etiam servari? Adverte igitur quid ad id respondeam. Similitudine mihi quoque opus est, quemadmodum Simmiae. Profecto mihi perinde haec dici videntur, ac si quis de homine textore sene defuncto diceret nondum interiisse illum, sed forte alicubi superesse, coniecturámque afferret vestem qua ipse, cum texeret, induebatur, asseverarétque eum adhuc esse incolumem neque interiisse; ac si quis id non crederet, interrogaret utrum diuturnius sit hominis genus, an vestis qua quotidie quis utatur; quod si respondeat genus humanum diuturnius esse, tunc demonstratum esse putaret, videlicet multo propterea magis sospitem hominem, quoniam id quod brevius erat illo perierit. Hoc autem, o Simmia, ita se habere non arbitror; vide enim ne inepte illud adducatur. Nam hic textor, qui multas contriverit vestes, ultima vero prior interiit, neque propterea magis sequitur hominem esse veste viliorem atque debiliorem. Eandem ferri similitudinem animae ad corpus posse arbitror; ac si quis de his eadem illa adducat, congrue dicere videretur, videlicet animam

quidem esse diuturniorem, corpus vero debilius minúsque diuturnum: verum diceret quemlibet animorum plura consumere corpora, praesertim si multos vivat annos. Si enim fluat corpus hominéque etiam vivente dissolvatur, anima vero quod consumitur retexat continue, necessarium tamen erit, quando perierit anima, tunc ultimam habere vestem, eáque sola priorem perire. Cum vero perierit anima, tunc demum imbecillitatem naturae suae corpus ostendere, cito putrescens atque evanescens. Nam si quis dicenti etiam plura quam tu dicis concesserit, nec solum ante ortum nostrum animam extitisse, verum etiam nihil prohibere etiam post obitum quorundam remanere, saepiúsque accedere ac decedere fateatur (adeo enim naturam animae validam esse ut saepius corpori indita se corpúsque servet): his tamen concessis, nondum illud tibi daret, non defatigari in multis generationibus animam, sed tandem aliqua ex pluribus morte diceret omnino deleri. Quinetiam adderet neminem mortem illam dissolutionémque corporis, quae animae quoque interitum infert, posse scire: esse enim impossibile ut quisquam nostrum id sentiat. Quod quidem si ita se habeat, nemo non stulte in morte confidit, nisi demonstrare possit animam omnino immortalem atque indissolubilem esse. Alioquin consentaneum est necessarium esse ut, qui moriturus est, animae metuat suae, semperque sit sollicitus ne in ea quae proxime imminet corporis disiunctione prorsus intereat. Omnes igitur, cum haec dicentes audivissemus, conturbati sumus, ut postea inter nos aperuimus, quod, cum superiori disputatione nobis fuisset magnopere persuasum, rursus viderentur nos perturbasse atque eo deiecisse, ut nedum rationibus iam adductis, sed et dicendis insuper, fidem ullam adhiberemus, verentes ne vel nos haud quaquam boni essemus iudices, vel res ipsae fide essent indignae.

ECHECRATES: Veniam equidem per Deos do vobis, o Phaedo. Nam mihi quidem modo te audienti tale quiddam veniebat in mentem: Cuinam tandem rationi credam? quippe cum ratio illa Socratis usqueadeo paulo ante probabilis iam fidem amiserit. Mirum est enim quantum apud me contra possit ratio illa, sempérque potuerit, quae animam nostram harmoniam esse probat; et nunc quidem audita mihi subito in memoriam revocavit quod idem mihi quoque antea visum fuerat. Quo efficitur ut alia quadam ratione iterum, tanquam ab initio, prorsus indigeam, quae mihi persuadeat animam cum corpore non interire. Dic ergo per Iovem precor, quo pacto disputationem peregerit Socrates; et utrum ipse quoque, quemadmodum de vobis ipse fateris, graviter

id ferre visus fuerit, an contra benigne suam defenderit rationem; praeterea utrum satis necne eam tutatus fuerit. Haec nobis quam potes diligentissime refer omnia.

PHAEDO: Equidem, o Echecrates, saepe admiratus Socratem, nunquam maiori cum voluptate quam tunc praesens sum admiratus. Habuisse quidem illum quod obiectionibus responderet forte non est mirandum; sed haec in eo potissimum sum admiratus: primo quidem quam iucunde, benigne, amice adolescentium verba receperit; deinde quam sagaciter sensit nos illorum rationibus fuisse commotos; demum quam opportune nobis adhibuit medicinam, et quasi fugientes atque victos revocavit nos, convertítque ad prosequendum atque una sermonem considerandum.

ECHECRATES: Quonam pacto?

PHAEDO: Dicam quidem. Sedebam forte ad dexteram eius in subsellio quodam humili iuxta lectulum; ipse vero sedebat longe superior. Attrectans igitur caput meum, compriménsque crines super cervicem (consueverat enim nonnunquam, si ita res ferebat, in meos crines ludere), Cras forsitan, inquit, o Phaedo, istas pulchras incides comas. Sic arbitror, inquam, o Socrates. Non certe, si me audies, inquit. Quid hoc, inquam, est? Immo hodie et ego meas et tu tuas, si nobis ratio intereat neque eam ipsi suscitare possimus. Atqui si ego tu essem ac me fugeret ratio, more Argivorum iurarem non prius comam nutriturum quam vicissim Simmiam Cebetémque expugnavissem. At vero, inquam ego, contra duos ne Hercules quidem dicitur suffecisse. At tu me Iolaum, dum lux est, advoca, inquit. Advoco equidem, inquam, sed non tanquam Hercules Iolaum, immo tanquam Iolaus Herculem. Nihil refert, inquit. In primis vero cavendum ne quid nobis accidat. Quidnam? inquam. Ne rationum, inquit, osores fiamus, quemadmodum nonnulli hominum osores fiunt. Nullum enim maius quam hoc malum nobis posset accidere quam odisse rationes. Oritur autem odium rationum eodem pacto quo et odium hominum. Misanthropia quidem provenit ex eo quod quis aliquem absque arte iudicandi vehementer crediderit, putavéritque ipsum omnino verum et sincerum esse, ac paulo post deprehenderit improbum atque infidum, rursúsque alium eodem pacto. Itaque quando alicui saepe id acciderit, praesertim ab iis quos praecipue familiarissimos amicissimósque existimabat, tandem saepe offensus odit universos, putátque nihil omnino apud quenquam esse sincerum. An te latuit id ita accidere consuevisse?

Animadverti equidem, inquam. An non turpiter, inquit, et absque humanarum rerum arte hic aggreditur hominibus uti? Si enim ex arte uti studeret, cogitaret utique rem ipsam ita se, ut habet, habere: videlicet homines vehementer bonos aut malos perpaucos esse, medios vero plurimos. Quo id pacto dicis? Quemadmodum videlicet in rebus contingit valde aut parvis aut magnis. An tu arbitraris quicquam esse rarius quam valde magnum aut valde parvum reperire hominem, vel canem, vel quoduis aliud? atque rursus celerrimum et tardissimum, pulcherrimum et turpissimum, albissimum et nigerrimum? An ignoras in his omnibus extremorum summa rara quidem et pauca esse, media vero frequentia atque multa? Sic arbitror, inquam. Nonne igitur arbitraris, inquit, si improbitatis proponeretur certamen, admodum paucos in hoc genere summos inveniri? Consentaneum est, inquam. Consentaneum quidem, inquit; verum non hoc pacto similes rationes sunt atque homines, sed te nunc ducente prosequar; immo vero in hoc similitudo consistit, quando videlicet quis absque rationum arte crediderit rationem aliquam esse veram, sed paulo post appareat falsa (quae quidem aliquando talis est, aliquando minime), et rursus altera similiter atque altera. Praecipue vero illis id evenit qui plurimum rationes contradictorias agitant: hos enim scis putare tandem se sapientissimos evasisse, solósque animadvertisse neque in rebus neque in rationibus esse sanum aliquid aut firmum, sed omnia re vera tanquam in Euripo sursum deorsúmque iactari, nullúmque tempus in aliquo permanere. Sane quidem, vera haec dicis, inquam. Nonne igitur, o Phaedo, aegritudo miserabilis esset, si, cum ratio aliqua vera firmáque sit quae comprehendi queat, postea tamen, auditis huiuscemodi rationibus quae modo verae modo falsae videntur, aliquis non seipsum neque suam ipsius inertiam accusaret, sed tandem prae dolore libenter culpam omnem a seipso in ipsas transferat rationes, atque in reliqua vita eas odio habeat atque vituperet, rerúmque iam ipsarum veritate scientiáque privatus? Per Iovem, miserabilis, inquam, aegritudo. In primis igitur, inquit, diligenter caveamus ne persuadeamus nobis nihil in rationibus esse sanum, sed multo magis nondum esse nos sanos. Itaque totis viribus, ut sani efficiamur, est annitendum: tibi quidem et aliis totius reliquae vitae gratia, mihi vero mortis ipsius causa; qui in periculo sum ne in hoc ipso tempore non ut philosophum hac in re me geram, sed ut contentiosum atque pertinacem, quod quidam homines a disciplina alienissimi facere solent. Illi enim, ubi de aliqua re ambigitur, non ut res ipsa de

qua agitur se habeat curant, sed ut quae posuerunt ipsi praesentibus videantur vera obnixe contendunt. Atque ego mihi videor in hoc duntaxat in praesentia ab illis differre, quod non ut praesentibus probem ea quae dico annitar, nisi quid praeter rem forte contigerit, sed ut mihi ipsi vera quam maxime videantur. Sic enim cogito, dulcis amice, et vide quanto cum lucro sit ratio mea. Si forte vera sunt quae dico, operaepretium est ita credere; sin autem nihil superest post mortem, attamen hoc quod mihi vitae superest tempore, deplorando praesentibus minus ero molestus. Haec autem ignorantia minime perseverabit mecum (malum id enim esset), sed paulo post delebitur. Sic equidem, o Simmia et Cebes, paratus revertor ad disputandum. Vos tamen, si me audiatis, nulla Socratis habita ratione sed potissime veritatis: siquidem verum vobis loqui videor, assentiamini; sin minus, omni ratione contradicite, diligenter caventes ne ego, prae nimio studio, meipsum simul vosque decipiam, et velut apes aculeo relicto abeam. Sed iam accedendum est. Primum quidem redigite in memoriam mihi quae dicebatis, si minus meminisse vobis videbor. Simmias quidem, ut arbitror, diffidit ac metuit ne anima, quamvis divinior pulchriórque corpore, prius tamen, utpote quae species sit harmoniae, intereat. Cebes autem mihi visus est concedere diuturniorem esse animam corpore, sed scire posse neminem ne, cum multa saepius consumpserit corpora, tandem quandoque postremum relinquens corpus ipsa quoque pereat, atque mors eiusmodi tantum sit interitus animae, quandoquidem corpus nunquam definit interire. An non haec sunt, o Simmia et Cebes, quae nos oportet considerare? Confitebantur ambo. Utrum, inquit, an omnia quae dicta in superioribus fuerant negatis, an quaedam negatis sed alia conceditis? Quaedam, inquiunt, quaedam non. Quid igitur, inquit, de eo quod disciplinam diximus reminiscentiam esse, atque, si ita res habeat, necessario consequi alicubi fuisse animam prius quam corpore clauderetur? Mihi quidem, inquit Cebes, istud, dum diceres, mirifice placuit, atque nunc, si qua unquam in alia, in hac maxime sententia permaneo. Similiter ego quoque, inquit Simmias, affectus sum, vehementérque admirarer si mihi unquam hac de re aliter videretur. At vero necesse est, o amice Thebane, aliter tibi videri, si permanseris in ea sententia, harmoniam videlicet esse compositum quoddam, animam vero harmoniam quandam ex his quae per corpus intensa sunt constitutam. Nunquam enim admittes consonantiam compositam prius esse quam illa ex quibus componi consonantiam oportebat. An admittes? Nullo,

inquit, o Socrates, modo. Animadvertis igitur, inquit, quod non eadem tibi dicere contingit, quando dicis animam quidem esse prius quam in humanam speciem corpúsque deveniret, eam autem ex his quae nondum sunt constitui? Neque enim talis tibi est harmonia quale est id cui tu similem esse dicis. Immo vero prius est ipsa lyra et chordae et soni nondum temperati; tandem vero componitur consonantia, omnium postrema primáque dispergitur. Hic itaque sermo quonam pacto tuo illi concinet? Nullo modo, inquit Simmias. At vero, sicubi alibi, verba concinnitatem servare debent, praecipue decet esse concinna ubi de concentu tractatur. Decet nimirum, inquit Simmias. Hic igitur sermo tibi dissonat, inquit. Sed vide utrum ex his duobus eligas, disciplinámne reminiscentiam esse, an potius animam esse concentum. Primum potius eligo, o Socrates, inquit. Illud namque alterum absque demonstratione admisi, ex verisimili quadam convenientia, unde idem videtur et multis. Ego autem ea verba quae per verisimilia demonstrationes faciunt semper inania iudicavi; ac nisi quis caveat valde decipiunt, et in geometria et in ceteris omnibus. Ratio vero de reminiscentia atque disciplina fundamento innititur fide digno. Dictum est enim animam nostram ita esse alicubi prius etiam quam laberetur in corpus, ut illa ipsius essentia habeat eius quod vere est cognomentum. Ego vero hanc, ut mihimet persuadeo, sufficienter recteque admisi. Nam ob haec, ut mihi videtur, necesse est, neque meipso neque alio id affirmante, admittendum esse animam harmoniam esse. Quid vero, Simmia? Videturne tibi vel consonantiae vel alteri cuiquam compositioni congruere ut aliter se habeat quam illa ex quibus conflatur? Nullo modo. Neque etiam, ut aliud quicquam, ut arbitror, patiatur aut agat quam illa vel agant vel patiantur? Assensus est. Non igitur convenit consonantiam ea praecedere ex quibus composita est, sed sequi. Videtur. Quare permultum abest ut harmonia in contrarium moveatur aut sonet, aut quicquam aliud edat partibus suis adversum. Permultum, inquit. Quid vero? consonantia, nonne eatenus pro natura sua consonantia est, quatenus temperatur? Haud satis intelligo. Nonne, si magis plúsque temperetur, si modo id admittit, magis plúsque consonantia est; sin vero minus atque perpaucum, minus perpaucúmque similiter? Omnino. Nunquid de anima id dici potest? ut vel in minima quadam re alia anima hoc ipsum quod est anima vel magis vel plus aut contra sit quam alia? Minime. Dic age per Iovem: num animam dicimus aliam quidem habere mentem virtutémque atque esse bonam, aliam vero

dementiam et pravitatem malámque esse? Haec ne, inquam, vere dicuntur? Vere quidem. Eorum ergo qui animam esse asserunt harmoniam, quis quidnam dicet esse animabus haec, scilicet vitium et virtutem? An aliam quandam consonantiam atque dissonantiam? et bonam quidem esse consonantem, et, cum ipsa consonantia sit, alteram in se consonantiam possidere; malam vero dissonantem et ipsam esse, nec aliam in se habere? Quid respondeam, inquit Simmias, non habeo. Constat tamen eum qui animam esse consonantiam posuisset talia quaedam responsurum. At vero iam concessum est nihilo magis aut minus aliam alia animam esse. Eiusmodi vero concessio est, neque magis neque plus neque minus, neque sub paucioribus gradibus aliam alia consonantiam esse. Nonne? Prorsus. Eam vero quae neque magis neque minus consonantia est, nimirum neque magis neque minus esse temperatam. Est ita? Est. Quae vero neque magis neque minus temperata est, potéstne pluribus paucioribúsve gradibus particeps consonantiae esse, an potius aeque? Aeque potius. Quapropter anima, si quidem neque magis neque minus alia quam alia secundum animae naturam anima est, consequenter neque magis neque minus est temperata. Est ut dicis. Cum vero sic affecta sit, nihilo magis consonantiae vel dissonantiae particeps. Nihilo magis. Praeterea, cum ita comparata sit, num plus aliquid pravitatis vel virtutis alia quam alia possidet, siquidem pravitas quidem dissonantia est, virtus vero consonantia? Certe plus nihil. Quinimmo secundum rectam, Simmia, rationem, nulla usquam anima pravitate erit affecta, si fuerit consonantia: quando quidem consonantia vera, secundum id quod consonantia est, nunquam est dissonantiae particeps. Nunquam certe. Neque igitur anima, quae omnino sit anima, pravitate inficietur. Quo enim modo, secundum ea quae prius dicta sunt? Hac igitur ratione animalium omnium animae bonae similiter erunt, si secundum animae naturam animae aeque sunt. Ita videtur. Nonne recte sic tibi dici videtur, atque haec sequi, si recta fuit hypothesis animam esse harmoniam? Minime vero. Quid autem? Ex omnibus quae in homine sunt, aliudne praeter animum esse dicis quod dominetur, praesertim sapientem, an aliud? Non equidem. Utrum perturbationibus indulgentem, an potius repugnantem? Dico autem tale quiddam: veluti si sub aestu sitis angat, interea tamen adversatur animus retrahítque in contrarium ne bibat; et similiter si premat fames, ne edat; et in aliis quam plurimis videmus corporis affectibus repugnantem. Nonne? Equidem maxime. Nonne in superioribus confessi

sumus animam, si consonantia fuerit, nunquam dissonaturam his quibus intenditur vel remittitur vel vibratur, vel quodcunque aliud patiantur illa ex quibus ipsa conflatur, sed secuturam illa, nunquam vero ducturam? Confessi sumus, quidni? Quid vero nunc? Nonne contra omnino videtur agere, quippe quae ea ducit omnia ex quibus dixerit aliquis ipsam constitui, atque ferme omnibus per omnem vitam repugnat, omnibúsque dominatur modis, interdum rigidius et cum doloribus puniens per gymnasticam atque medicinam, interdum vero mitius castigans, comminando aut monendo adversus cupiditates et iras atque timores, tanquam altera quaedam res cum altera disputans, quemadmodum Homerus tradidit in Odyssea, ubi de Ulysse ait: Tum pectus pulsans, cor sic affatur Ulysses, Hoc quoque cor perfer, nanque et graviora tulisti. An putas Homerum haec dixisse tanquam harmonia quaedam sit animus, ac talis ut corporis passionibus subiiciatur, non autem ducat atque dominetur, an potius quasi quiddam longe divinius quam harmonia sit? Per Iovem, o Socrates, non mihi videtur. Non ergo, vir optime, recte harmoniam esse animam dicemus. Sic enim, ut apparet, neque Homero divino poetae neque nobis ipsis consentiremus. Age, harmoniam quidem Thebanam satis, ut videtur, iam placavimus. Rationem vero Cadmeam, o Cebes, quonam pacto et qua ratione placabimus? Tu mihi viam, inquit Cebes, inventurus videris. Nempe rationem hanc adversus harmoniam mirifice praeter opinionem nostram excogitasti. Cum enim audirem Simmiam dubitantem, valde admirabar siquis rationibus eius commode uti posset; itaque summae mihi fuit admirationi ipsum nec primum quidem potuisse rationis tuae impetum sustinere. Quapropter non admirarer si Cadmeus quoque sermo idem pateretur. Parcius ista, bone vir, nequa invidia nobis sequentia interturbet. Sed haec quidem Deo curae erunt; nos autem, ut ait Homerus, cominus congressi periculum faciamus an forte quid dicas. Summa vero eorum quae perquiris est eiusmodi: demonstrandum est, ut iudicas, animam nostram neque interitui obnoxiam neque mortalem esse, ne vir philosophus, in morte securus magnáque cum fiducia sperans in alia vita longe beatiorem ob philosophiae studium se futurum, insipiens sit stultéque confidat. Ostendere autem validum quiddam esse animam atque divino persimile, priúsque etiam quam nos extitisse, nihil impedimento esse ais quo minus haec omnia non immortalitatem quidem significent, sed duntaxat animam corpore diuturniorem esse, multáque ante nos saecula fuisse,

novisséque et egisse permulta, nihilo tamen magis ob hoc immortalem esse existimandam: immo hanc ipsam in humanum corpus ingressam quasi morbum quendam, interitus eius initium esse, adeo ut et in hac vita sit misera et tandem in corporis morte depereat. Nihil autem differre censes, sive semel tantum sive saepius labatur in corpus, quo minus quivis nostrum pertimescat: merito namque timendum esse, nisi stultus sit, ei qui neque sciat neque reddere queat immortalitatis animae rationem. Talia quaedam sunt quae dicis, o Cebes; egóque ea consulto saepius repeto, ne quid nos fugiat, sive addere his quicquam velis sive demere. Nihil equidem in praesentia habeo, inquit Cebes, quod aut minuam aut addam: atque haec sunt quae dico. Tunc Socrates, cum diutius commoratus esset, ad se conversus, Haud leve quiddam requiris, inquit, o Cebes. Omnino enim oportet generationis corruptionísque causam pertractare. Ego igitur, si vis, ea tibi quae mihi evenerunt enarrabo; deinde, si quid eorum quae dixero ad quaestionis tuae veritatem aperiendam conducere putabis, uteris. Volo equidem, inquit. Audi igitur iam narrantem. Equidem, o Cebes, cum essem iuvenis, mira quadam eius sapientiae cupiditate flagrabam quam naturae vocant historiam. Praeclarissimum enim esse censebam causas intelligere, propter quas singula fiant atque intereant, et qua sint ratione. Saepiúsque me sursum deorsúmque iactavi, talia quaedam primo considerans: utrum, postquam calidum et frigidum putrefactionem aliquam acceperunt, quemadmodum nonnulli dixerunt, tunc animalia coalescant; praeterea utrum sanguis sit quo sapimus, an aër, an ignis, aut nihil horum, sed cerebrum, quod praebeat sensus audiendi videndi olfaciendi, ex his autem memoria et opinio fiat, ex memoria vero et opinione quiescente per haec scientia oriatur. Proinde horum corruptiones considerans, atque eas quae circa caelum terrámque passiones contingunt, tandem adeo mihi ad has considerationes ineptus visus sum, ut nihil aeque. Cuius rei sufficiens tibi afferam signum. Ob eiusmodi enim considerationes ita in iis quae prius manifeste, ut mihi aliísque videbar, sciebam excaecatus sum, ut etiam illa dediscerem quae antea me scire putabam, et alia videlicet multa, et qua ratione homo crescat. Id namque opinabar ante esse cuilibet manifestum, hominem videlicet per cibum potúmque augeri: quando enim per haec carnes carnibus ossáque ossibus adduntur, eodémque modo in aliis quando sua cuique adhibetur, tunc sane molem primo parvam deinde magnam evadere, atque ita parvum hominem effici magnum. Sic ego tunc opinabar. Nonne satis belle tibi videor? Mihi

quidem, inquit Cebes. Animadverte haec insuper. Arbitrabar enim satis recte mihi videri, quoties hominem vel equum magnum parvo propinquum, alterum altero capite ipso esse maiorem iudicarem; atque multo etiam evidentius, decem plura apparebant mihi quam octo, propterea quod denarius duo praeter octonarium contineret; praeterea cubitum cubitali maius, quoniam dimidio superaret. Nunc vero, inquit Cebes, de his quid iudicas? Procul equidem per Iovem abesse mihi videor ut alicuius horum causam intelligere putem, qui nondum mihi ipsi persuadere possum, ut, quando quis uni addat unum, tunc vel illud unum cui unum adiunctum est duo evadere, vel utrunque, et adiunctum et illud cui adiunctum est, propter alterius ad alterum adiunctionem evadere duo. Admiror enim quod, cum utrunque horum separatum erat, utrunque unum erat, neque erant tunc duo; postquam invicem cohaeserunt, haec ipsa causa fuerit ut duo fierent, congressio videlicet per quam propius iam posita sunt. Neque etiam, si quis unum dividat, adhuc possum persuaderi hanc ipsam divisionem causam esse ut duo evadat. Contraria enim tunc atque superius causa fit qua duo fiant: tunc enim, quia coniungebantur propius inter se ferebatúrque admovebaturque alterum alteri; nunc vero, quoniam removetur ac separatur alterum ab altero. Neque propter quid unum fiat adhuc scire me arbitror, neque, ut summatim dicam, aliud quicquam quare fiat aut pereat aut sit, per hanc ipsam viam me scire profiteor: sed alium quendam ipse modum frustra misceo, hunc vero nullo modo admitto. Verum cum audissem aliquando ex libro, ut ille aiebat, Anaxagorae, legentem quendam hanc Anaxagorae ipsius sententiam, videlicet mentem omnia exornare omniúmque causam esse, hoc utique causae genere magnopere sum delectatus, existimans quodammodo consentaneum esse mente omnium causam esse; putabámque, si id ita esset, mentem omnia exornantem singula per hanc ita esse disposita ut optime disponi poterant. Propterea, si quis vellet causam invenire qua singula fiant atque pereant aut sint, hoc ipsum esse inveniendum, qua videlicet ratione optimum sit unicuique aut esse, aut quoduis aliud pati vel agere. Atque hoc pacto nihil aliud considerandum homini, vel de seipso vel de aliis, nisi quod potissimum sit et optimum. Necesse vero est eum qui id norit illud quoque quod est deterius cognovisse, quippe cum eadem horum scientia sit. Haec utique mecum ipse reputans gaudebam, invenisse ratus Anaxagoram magistrum qui me, id quod tanto opere cupiebam, causas rerum doceret; primúmque mihi

diceret utrum plana sit terra an rotunda, et cum haec dixisset, subiungeret mihi causam atque necessitatem, afferens videlicet id ipsum quod melius est, meliúsque fuisse eam esse talem. Proinde, si terram diceret in mundo mediam esse, mox exponeret melius extitisse ut media esset. Quod si ille haec ostenderet, ita me comparabam quasi nullam amplius causarum speciem positurus. Praeterea de sole et luna ceterísque stellis, earúmque inter se velocitate conversionibúsque et aliis quae solent illis accidere, me similiter quaesiturum auditurúmque comparaveram, quod videlicet, qua ratione haec melius sit singula vel facere vel pati, quaecunque agant vel patiantur. Neque enim putabam, cum ab initio dixisset a mente illa exornari, ipsum aliam postea causam rebus assignaturum, praeterquam quod optimum sit eas ita se habere. Itaque arbitrabar eum, in reddendis tum singulorum tum cunctorum communiter causis, singulis quidem assignaturum quod unicuique optimum, cunctis vero commune bonum. Neque vero spes ipse meas parvi faciebam, sed summo quodam studio acceptos libros, quam velocissime poteram, legebam ac perlegitabam, ut ocyssime quid optimum quidve deterrimum esset cognoscerem. Hac igitur mirabili spe ductus, cum legere pergo, video hominem mente quidem nullo modo utentem, nec causam ullam ad ipsum rerum ornatum referentem, sed aëreas naturas et aethereas aqueásque et talia multa incredibilia pro rerum causis assignantem. Qua quidem in re ille mihi perinde visus est agere ac si quis diceret Socratem quaecunque facit mente facere, deinde, volens singulorum quae facio causas explicare, dicat primum quidem nunc me hic propterea sedere, quoniam corpus meum ex ossibus nervísque componitur, et ossa quidem solida sunt et iuncturarum intervalla inter se habent, nervi vero, quoniam tendi remittíque possunt, amplectuntur ossa cum carnibus atque cute quae illa continet; cum igitur ossa in suis iuncturis suspensa sint, nervi intendentes remittentésque commode faciunt ut flecti cuiusque membra possint, eáque ratione contractus hic sedeam. Ac rursus, disputationis meae alias quasdam eiusmodi causas assignaret, voces et aërem et auditum aliáque generis eiusdem quam plurima, causas verissimas negligens, videlicet quoniam Atheniensibus melius visum fuerit me condemnare, ideóque mihi etiam melius sit visum hic sedere, iustiúsque iudicarim expectantem dare poenas quas illi iubeant. Siquidem per Canem iamdiu, ut arbitror, hi nervi atque haec ossa apud Megarenses aut Boeotios essent, ipsius quod optimum est opinione delata, nisi iustius honestiúsque

censuissem poenas civitati pendere quascunque a me exigat quam subterfugere atque exulem vivere. Verum talia quaedam causas appellare, a ratione est remotissimum. Si quis autem dixerit absque ossibus et nervis atque similibus non posse me, quae mihi facienda videantur, implere, vere utique dicet; attamen asserere propter haec me facere quaecunque facio (dum ipsa mente ago), non autem eius quod optimum sit optione, multa magnáque sermonis inertia esset. Nam qui sic est affectus, nequit discernere aliam quidem esse veram rei alicuius causam, aliud vero illud sine quo ipsa causa esse non potest causa. Quod quidem multi mihi videntur, quasi in tenebris attrectantes, alieno appellare nomine, dum causam nuncupant. Quapropter nonnulli vertiginem circumponentes terrae, sub caelo eam stabilem faciunt; alii vero, tanquam lato vase in quo panis ponitur, aëre velut base suffulciunt. Potentiam vero ipsam, qua nunc ita disposita sint ut optime disponi poterant, neque perquirunt, neque divinam quandam habere vim putant; sed Atlantem quendam robustiorem et immortaliorem magísque omnia continentem invenisse se opinantur. Ipsum autem bonum atque decens conectere atque continere re vera nihil existimant. Ego igitur libentissime cuiusvis essem discipulus qui me doceret quaenam haec ipsa causa sit aut quemadmodum se habeat. Postquam vero hac privatus sum, neque ipse invenire neque ab alio discere potui, secundam navigationem ad causam investigandam molitus sum. Visne, o Cebes, hanc tibi a me demonstrari? Mirifice cupio, inquit Cebes. Censui tandem, cum in rebus considerandis iam defessus essem, cavendum esse ne mihi idem accideret quod accidere illis solet qui solem deficientem figunt intuitu: orbantur enim nonnunquam visu, nisi in aqua vel in eiusmodi aliquo imaginem eius aspiciant. Tale quiddam ego reputavi, timuíque ne animus mihi prorsus occaecaretur, si oculis res aspicerem sensúque quolibet attingere illas aggrederer. Quapropter operaepretium esse censui ut ad rationes confugerem, atque in illis rerum veritatem considerarem. Forte vero nostra haec similitudo non omni ex parte congruit: non enim prorsus assentior eum qui res in rationibus contemplatur in imaginibus aspicere potius quam qui in operibus intuetur. Veruntamen hac via iter direxi: supponénsque rationem semper quam esse iudico validissimam, quaecunque huic consonare videantur pono equidem tanquam vera, idque ago et circa rerum causas et circa reliqua omnia; quae vero dissonant, vera esse nego. Volo equidem quae dico tibi apertius explanare. Puto enim te nondum intelligere. Per Iovem haud

multum, inquit Cebes. Verum nihil novum adduco, sed quae et saepe alias et in superiori disputatione dicere nunquam destiti. Pergo iam igitur demonstrare tibi causae speciem quam continue pertractavi, ac redeo ad illa iam saepius decantata, ab eísque exordior, supponens aliquid esse ipsum per se pulchrum et bonum et magnum et cetera omnia. Quae quidem si tu mihi dederis eáque esse concesseris, spero tibi ex his ipsam causam demonstrare, itémque inventurum esse animam immortalem. At vero, inquit Cebes, quasi iam tibi concesserim, nihil tibi faciendum est quo minus iam concludas. Considera iam quae sequuntur deinceps, utrum in his mihi consentias. Arbitror enim, siquid est aliud pulchrum praeter ipsum pulchrum, non ob aliud quippiam esse pulchrum quam quia pulchri ipsius est particeps; atque omnia dico ad hunc modum. Utrum hanc causam recipis? Recipio equidem, inquit. Ergo nondum ultra percipio, neque possum ceteras istas praeclaras causas cognoscere. Si quis autem mihi dixerit quare pulchrum sit quodlibet, videlicet quia vel colorem habeat floridum vel figuram vel aliud quoduis tale, cetera equidem valere sino (in ceteris enim omnibus soleo perturbari), id vero unum simpliciter atque vere, et fortasse imperite, penes me teneo: nihil aliud esse quod aliquid faciat pulchrum quam ipsius pulchri sive praesentiam sive communionem, sive qualicunque ratione et quocunque modo id proveniat. Neque enim id adhuc affirmarem, sed hoc tantum, pulchro pulchra omnia esse pulchra. Id mihi videtur tutissimum, tam mihi quam aliis respondere; atque huic fundamento innixus, tuto respondere posse quaecunque pulchra sunt ipso pulchro esse pulchra. Ergo et quae magna sunt, ipsa magnitudine esse maiora, parvitatéque esse minora. Ita est. Igitur neque tu quidem admitteres si quis diceret alium alio non alia re ulla quam magnitudine esse maiorem, atque ob hoc maiorem, ob ipsam scilicet magnitudinem; minus autem, nullo similiter alio minus quam parvitate, et propter hoc esse minus, propter ipsam videlicet parvitatem: metuens, ut puto, ne, si quem dixeris capite maiorem esse vel minorem, quispiam tibi sic obiiciat, primum quidem eadem re et maius esse maius et minus esse minus, deinde quod capite, quae res parva est, maiorem affirmes esse maiorem. Hoc autem licet monstro esse persimile, ut paulo aliquo magnum quiddam esse dicas. Nonne haec metueres? Tunc Cebes subridens, Equidem, inquit. Nonne similiter quoque metueres dicere, inquit, decem plura quam octo esse duobus, atque ob hanc causam superare, potius quam multitudine atque propter multitudinem? ac

similiter bicubitum cubitali maius esse dimidio potius quam magnitudine? Id enim similiter est metuendum. Omnino, inquit. Quid vero, si uni addatur unum, additamentum ipsum esse causam ut duo fiant; vel, si dividatur, divisionem ipsam duorum esse causam, dicere non formidares? Altiúsque exclamares, nescire te quonam alio pacto quicquam fiat nisi participatione quadam essentiae unicuique propriae cuius sit particeps; atque in his nullam aliam habere te causam cur duo fiant praeter duitatis ipsius participationem, sed oportere huius participia fore quaecunque futura sunt duo, et similiter unitatis quodcunque futurum sit unum. Has vero divisiones adiunctionésque et ceteras eiusmodi argutias valere sineres, relinquerésque sapientioribus te per eas pro arbitrio responsuris: tu vero, tuam, quemadmodum dici solet, metuens umbram et imperitiam, atque innixus tutissimae illi positioni, sic utique responderes. At vero si quis eandem positionem complexus increparet, valere sineres, neque prius responderes quam quae ab ea manant considerasses, utrum consonent invicem aut dissonent. Ubi vero illius ipsius rationem oporteret afferre, eodem modo afferres, atque aliam rursus positionem adduceres, quae superiorum optima videretur, quoad ad aliquid sufficiens pervenires. Nunquam vero simul confunderes contentioso more, ubi et de principio et de his quae a principio deducuntur disputas, si modo velles eorum aliquid quae vere sunt invenire. Nam illis fortasse nullus hac de re sermo est, nulla cura: possunt enim prae sapientia simul omnia commiscere, et tamen sibimet placere. Tu vero, si ex philosophorum numero es, quae dico, ut arbitror, facies. Verissima loqueris, inquit Simmias, et Cebes.

ECHECRATES: Per Iovem, o Phaedo, merito admodum consenserunt; mirifice enim ille mihi videtur rem ipsam vel hebetissimo cuique explanasse.

PHAEDO: Sic prorsus, o Echecrates, praesentibus omnibus similiter visum fuit.

ECHECRATES: Quid mirum? cum nobis quoque, qui non interfuimus, nunc similiter audientibus videatur. Verum quaenam post haec dicta fuerunt?

PHAEDO: Ut equidem arbitror, postquam haec illi Socrati concesserunt consenserúntque speciem quamlibet aliquid esse, et quae harum participia sunt ipsarum denominationem habere, deinceps hunc in modum interrogavit. Si haec ita se habent, nonne, quando Simmiam dicis Socrate quidem maiorem esse, Phaedone vero minorem, tunc affirmas in Simmia utrunque esse, et

magnitudinem simul et parvitatem? Equidem. Attamen Simmiam confiteris excedere Socratem non ita re vera ut verba sonant. Non enim ita natura institutum esse existimas Simmiam, ut ea ratione superet qua est Simmias, sed magnitudine quam habet; neque rursus Socratem eo quod Socrates est excedi, sed quia parvitatem prae magnitudine illius habeat. Vera loqueris. Similiter nec a Phaedone superari, eo quod Phaedo sit Phaedo, sed quia Phaedo prae Simmiae parvitate magnitudinem habet. Ita est. Sic itaque Simmias denominationem parvi habet et magni: siquidem in amborum medio positus, alterius quidem parvitatem magnitudine superat, alterius vero magnitudini parvitate cedit. Et simul subridens inquit: Videor equidem expressius accuratiúsque dicturus; verumtamen est ut dico. Dico autem propterea, quia cupio videri tibi quod et mihi videtur. Opinor enim non solum magnitudinem ipsam nunquam velle magnam simul parvámque esse, verumetiam neque hanc quae in nobis est magnitudinem unquam recipere parvitatem, neque superari velle; sed e duobus alterum accidere: vel fugere seque subtrahere, quando advenit contraria parvitas, vel cum illa advenerit interire; nolle autem expectare atque, in parvitate recipienda, aliud esse quam erat. Quemadmodum ego, cum susceperim sustinuerímque parvitatem, quandiu is ipse sum qui sum, sic ipsemet sum parvus; illud autem quod magnum est nunquam magnum simul et parvum aut fieri aut esse [vult]; neque aliud quicquam contrariorum, quandiu id est quod erat, simul fieri aut esse suum contrarium, sed vel abire vel perire cum adventat contrarium. Ita prorsus existimo, inquit Cebes. His auditis, quidam ex iis qui aderant (quisnam fuerit non satis memini): Dii boni, inquit, nonne in superioribus contrarium ex contrario fieri concessum est, minori maius atque ex maiori minus, essétque proculdubio haec ipsa contrariorum generatio ex contrariis? Nunc vero id non posse dici videtur. Cum vero Socrates, admovens caput, auscultasset, Viriliter, inquit, id recordatus es; non tamen intelligis differentiam inter id quod modo dictum est atque illud superius. Tunc enim dicebatur ex contraria re rem contrariam fieri; nunc vero contrarium ipsum sibimet contrarium fieri nunquam, neque quod in nobis neque quod in natura contrarium est. Tunc enim, o amice, de his quae habent contraria dicebamus, haec illorum cognomine appellantes; at nunc de illis ipsis loquimur, quae his insunt, quorúmve praesentia cognomen habent ea quae nominantur: illa vero ipsa dicimus nunquam velle mutuam inter se generationem suscipere. Et simul Cebetem intuitus inquit: Num te

quoque, Cebes, aliquid eorum quae ab hoc obiecta sunt perturbavit? Haud equidem, inquit Cebes, ita sum affectus; ac tibi affirmo non multum me turbari. Id ergo simpliciter, inquit, confessi sumus, contrarium nunquam sibimet fore contrarium. Omnino, inquit. Adverte praeterea num et hoc mecum sentias. Vocásne aliquid calorem atque frigus? Voco equidem. Num tanquam nivem atque ignem? Non per Iovem. Aliud quiddam calorem esse quam ignem, et aliud frigus quam nivem? Ita. Sed hoc quoque tibi videri puto, nivem, quando nix est, nunquam susceptúram esse calorem, quemadmodum in superioribus dicebamus, nec fore nivem ut erat prius simúlque calidam, sed, adventante calore, aut subterfugere aut interire. Penitus. Similiter et ignem, subintrante frigore, aut subterfluere aut extingui, nec unquam posse et suscipere frigus et simul esse ignem sicut prius erat, et frigidum. Vera narras. Sunt igitur quaedam eiusmodi, ut non solum speciem ipsam nomine suo dignetur per omne tempus, sed et aliud quiddam, quod quidem non est primum illud, habet vero, quando est, illius formam. In hoc rursus tibi quod volo forte manifestum erit. Impar enim semper oportet nomen id quod nunc dicimus possidere. Nonne? Oportet sane. Num id solum ex omnibus (hoc enim quaero), an et aliud quiddam, quod quidem est non idipsum impar, attamen hoc oportet una cum suo nomine hoc insuper nomine alio semper appellari, propterea quod ita natura sit institutum ut nunquam ab impari deseratur? Dico autem hoc ipsum esse ternarium, aliáque permulta. Considera vero de ternario. An non tibi videtur huic et suiipsius nomine semper nuncupandum esse et simul nomine imparis, quod quidem impar non idem est quod est ternarius? Veruntamen ita natura comparatus est et ternarius et quinarius et omnis medietas numeri, ut, quamvis non idem sit quod impar, semper tamen eorum quivis sit impar; rursus binarius et quaternarius omnísque alius numeri ordo, quamvis idem par non sit, simul tamen quilibet illorum par semper exsistit. Concedis necne? Quidni? Contemplare ergo quod velim. Est autem eiusmodi: videtur quidem non solum ipsa inter se contraria sese invicem non recipere, verumetiam quaecunque talia sunt ut, licet contraria inter se non sint, semper tamen contraria possideant, nunquam recipere speciem illam quae ipsi speciei quam in se habent contraria sit, sed, hac adveniente, aut perire protinus aut abire. An non dicemus tria et prius interitura et aliud quoduis passura quam sustineant ut, quatenus tria sunt, paria fiant? Ita prorsus, inquit Cebes. Non tamen contrarius est binarius

ternario. Non certe. Non solum ergo species ipsae contrariae nunquam invicem se recipiunt, sed etiam alia quaedam contrariorum ingressum mutuum non suscipiunt. Verissima narras. Visne igitur haec, si possumus, qualia sint definiamus? Volo equidem. An non, Cebes, haec erunt quae quodcunque occupant talia reddunt, ut non solum suiipsius ideam retinere cogantur, sed etiam contrario illi careant? Quonam pacto dicis? Quemadmodum paulo ante dicebamus. Scis enim quae trium continetur idea oportere non solum tria sed etiam imparia esse. Certe. Ad hoc tale utique dicebamus, ideam contrariam illi quae perficit nunquam accedere. Nunquam. Perficit autem imparis idea. Haec ipsa. Contraria vero huic paris idea. Ita est. Ergo ternario numero idea paris se nunquam insinuabit. Nunquam. Quapropter ternarius numerus paris est expers. Expers. Ternarius ergo est necessario impar. Est. Quod ergo definiendum dicebam, qualia videlicet sint quae, etsi alicui non sunt contraria, ipsum tamen contrarium non admittunt: perinde se habet ut Ternarius, qui, cum pari non sit contrarius, nihilo tamen magis ipsum accipit (nam semper contrarium affert binarius ad impar, et ignis ad frigidum, aliáque quam plurima). At vide num ita definiendum putes, ut non modo contrarium contrarium non admittat, verumetiam illud quod affert contrarium illi ad quod ipsum accedat, ipsum videlicet quod affert nunquam contrariam eius quae affertur recipiat formam. Rursus autem recordare; neque enim inutile est saepius audire. Quinque paris speciem non admittent, neque decem contrarium, speciem tamen imparis accipiet nunquam. Considera nunc subtiliorem quandam responsionem: non illam tutam quam a principio posui, sed, iuxta tuam quoque responsionem, aliam, per ea quae modo dicta sunt inventam. Nempe si me interroges, o Socrates, quidnam in corpore si sit calescet corpus, non tutam responsionem illam eandémque tibi dabo (videlicet si caliditas), sed exquisitiorem ex praesentibus verbis, videlicet si insit ignis. Similiter si me interroges quid si in corpore sit aegrotabit, non respondebo si aegrotatio, sed si febris. Rursus si percontaris quid si insit numero fuerit impar, non dicam si imparitas, immo si unitas; atque in ceteris eodem pacto. Sed vide an iam quid velim plane cognoveris. Planissime. Responde igitur: quidnam si in corpore sit, erit vivum? Si anima. Nonne id semper ita se habet? Semper. Anima igitur quicquid occupat, semper ad illud vitam affert? Affert proculdubio. An est aliquid vitae contrarium necne? Est utique. Quid istud? Mors. Anima vero contrarium eius

quod ipsa semper adducit subibit nunquam, quemadmodum ex superioribus est concessum. Sic est omnino, inquit Cebes. Quid vero quod paris ideam non accipit, quonam modo paulo ante nominabamus? Impar. Quod vero non accipit iustitiam, quódve non capit musicam? Iniustum, inquit, et immusicum. Age iam, quod non subit mortem, quomodo appellamus? Immortale. Et anima quidem mortem non suscipit? Nequaquam. Est igitur anima immortalis. Immortalis quidem. Age utique, hócne iam demonstratum dicemus? An aliter tibi videtur? Et sufficientissime quidem, o Socrates. Quid ergo, Cebes? Si necesse esset quod omnino est impar interitui non obnoxium esse, nonne tria interitus non essent obnoxia? Quidni? Praeterea, si quod calidum non est necesse esset interitui non esse obnoxium, quando quis ad nivem calidum admoveret, nix quidem incolumis illiquefactáque subterfugeret: neque enim vel periret vel calorem admitteret. Vera narras. Simili, ut arbitror, ratione, si quod frigescere non potest etiam interire non posset, quando in ignem adventat frigus, non extingueretur aut evanesceret ignis, sed abiret incolumis. Necesse est. Eodem pacto de immortali quoque necesse est dicamus. Si enim quod est immortale interire nequit, impossibile est animam imminente morte perire. Nam mortem quidem, quemadmodum ex superioribus constat, non recipiet neque interierit: quemadmodum ternarius nunquam, ut diximus, par erit, neque rursus impar par fiet, neque ignis frigidus, neque caliditas quae inest igni frigiditas unquam erit. Ceterum dicet quispiam: quidnam prohibet quo minus ipsum impar, par quidem non fiat adveniente pari (quemadmodum inter nos convenit), attamen, eo dissoluto, par pro eo succedat? Ita dicenti repugnare non valeremus quin sit destructum: quippe cum non idem sit impar atque indissolubile. Alioquin, si nobis id constitisset, facile obtineremus, accedente pari, impar ternariúmque discedere; similitérque de igne et calido ceterísque assereremus. Nonne ita? Prorsus. Iam vero de immortali, si nobis id constat quod est immortale esse etiam interitus expers, consequens est animam, praeter id quod est immortalis, interitus quoque nesciam esse. Sin vero minus id concedatur, ratione alia opus erit. Sed nihil, inquit, opus est, quantum ad id spectat, alia ratione. Siquidem quidnam aliud indissolubile posset esse, si immortale ipsum sempiternum dissolveretur? Deum vero et ipsam vitae speciem, et si quid aliud immortale, indissolubile quoque esse omnes confiterentur. Universi per Iovem homines, et multo magis ipsi, ut arbitror, dii. Cum igitur quod immortale est etiam

incorruptibile sit, quidnam prohibet animam, si fuerit immortalis, incorruptibilem quoque fore? Necessario sequitur. Imminente igitur homini morte, quod mortale quidem in eo est interit, ut apparet; quod vero immortale, incorruptum sospésque, morti se subtrahit. Manifestum est. Itaque maxime omnium, o Cebes, anima immortalis incorruptibilísque est, erúntque apud manes animae nostrae. Nihil equidem, o Socrates, adversus haec habeo quo minus rationibus tuis assentiar. Verum, si quid aut hic Simmias aut alius quisquam habet quod dicat, operaepretium fuerit non siluisse: nescio enim in quod aliud quis differat tempus, siquid de rebus eiusmodi vel dicere vel audire desideret. Atqui nec ego, inquit Simmias, habeo quicquam quo minus superioribus assentiar rationibus; verumtamen, rei ipsius qua de agitur magnitudinem atque humanam imbecillitatem considerans, cogor intra me dictis parum acquiescere. Quinimmo et haec bene dicis, o Simmia, inquit Socrates, et suppositiones primae, quamvis fide vobis dignae videantur, diligentius tamen considerandae; atque si de illis sufficienter, ut arbitror, disserueritis, hanc sequemini rationem quantum fieri ab homine potest. Quod si hoc ipsum fuerit manifestum, nihil ulterius perquiretis. Vera, inquit, loqueris. Hoc autem, o viri, iustum est cogitare: si anima sit immortalis, eam non solum temporis huius, in quo vivere dicimur, verumetiam totius periculum fore putandum est, si quis neglexerit animam. Nam si mors esset ab omnibus liberatio, lucrum profecto esset improbis, morientes simul et a corpore et ab eorum pravitate cum anima liberari. Nunc autem, cum anima immortalis appareat, nulla superest malorum declinatio, nulla salus, nisi ut optima et prudentissima fiat. Nihil enim aliud, cum migrat ad manes anima, secum transfert praeter eruditionem atque educationem; quae quidem statim in principio transmigrationis illius ei qui mortuus est vel plurimum prodesse vel obesse dicuntur. Ferunt enim quemlibet hinc illuc emigrantem, ab eo daemone quem vivens sortitus fuerat in locum quendam duci, ubi oporteat omnes una collectos iudicari, ac deinde ad inferos proficisci illo duce cui mandatum erat ut hinc decedentes ad illa loca traducat. Sortitos vero illic quae oportebat sortiri, tempúsque decentem commoratos, ab alio quodam duce rursus huc reduci post multos temporis longósque circuitus. Est autem iter non tale quale ait Telephus apud Aeschylum: ille siquidem simplicem inquit viam ad inferos ferre; ego vero neque simplicem neque unam esse puto. Alioquin nullis ducibus opus esset, quippe quum nulla via aberrare

posset nemo. Nunc autem videtur multos habere tramites multósque anfractus, quod quidem ex sacrificiis et ritibus coniectare licet. Animus ergo moderatus et prudens ducem sponte sequitur, neque ignorat praesentia; qui vero cupiditate corporis est infectus, per multum tempus ad ipsum ardenter afficitur, et circa locum visibilem multis reluctatus modis multáque perpessus, vix tandem ab eo adducitur daemone cui eius cura erat iniuncta. Cum vero ad ea loca, ubi alii quoque animi sunt, pervenerit, quisquis admodum immundus est et huiusmodi obnoxius crimini, qui vel iniustis se contaminaverat caedibus vel his similia similiúmque animorum opera perpetraverit, hunc quidem animum omnes fugiunt atque declinant, nec reperitur ullus qui vel socius vel dux eius fieri velit; itaque omni auxilio destitutus eo usque pererrat quoad certa temporum curricula impleantur, quibus tandem impletis in habitationem sibi convenientem ab ipsa necessitate transfertur. Qui vero puram moderatámque transegit vitam, deos socios ducésque nactus, ibi habitat ubi unicuique convenit. Multa vero sunt mirabiliáque terrarum loca, ipsáque terra neque talis neque tanta est qualem aut quantam hi qui de terra solent disserere existimant, quemadmodum mihi a quodam persuasum est. Quanam ratione, inquit Simmias, haec ais, o Socrates? Equidem de terrarum orbe multa audivi; non tamen haec quae tanquam vera accepisse te ais. Libenter igitur audirem. Atqui, o Simmia, nequaquam mihi videtur ars Glauci ea narrare quae sint; sed quod vera sint probare, artis Glauci facultatem mihi videtur excedere; praeterea ego forsan nec sufficerem; quinetiam si id scirem, haec tamen vita mea, o Simmia, longiori huic narrationi nequaquam sufficeret. Formam tamen orbis terrae eiúsque loca, cuiusmodi esse rear, nihil prohibet dicere. Satis id erit, inquit Simmias. Persuasum mihi quidem est, primo, si est terra in caeli medio rotunda, nihil ei opus esse vel aëre vel alia necessitate eiusmodi ad hoc ut nunquam decidat, sed ad eam sustinendam satis id esse, quod et caelum undique sibiipsi simillimum est omnino, et terra undique aequilibris. Res enim aequilibris, in similis alicuius medio posita, nec magis nec minus potest in partem aliquam inclinari, cúmque similiter se habeat ab inclinatione permanet aliena. Primo igitur hoc mihi esse ita est persuasum. Et recte quidem, inquit Simmias. Praeterea ingentem esse terrarum orbem, nósque a Phaside ad Columnas Herculeas habitare in parva quadam eius particula, ceu formicas atque ranas circa paludes atque mare; esse vero et alios in similibus multísque locis multos habitatores. Esse enim passim

per terram multas variásque concavitates, secundum formas et moles, in quas aqua, nebulae, aérque confluant. Puram vero ipsam terram in puro iacere caelo, in quo sunt astra, quem plerique eorum qui haec tractant aetherem nominant; cuius haec quasi subiecta, residendo, esse, sempérque in concavitates terrae partes confluere. Nos itaque, in concavitatibus eius habitantes, adeo falli ut in terrae superficie alta nos habitare credamus; perinde ac si quis, in medio profundo pelagi habitans, putet se altiora maris incolere, atque solem ceteráque astra per mare prospiciens mare ipsum esse caelum existimet, propter tarditatem autem imbecillitatémque nunquam ad summum maris evaserit neque caput undis extulerit, néque aspexerit quanto hic locus profundo illo purior pulchriórque sit, quinetiam nec ab illo qui hunc intuitus sit acceperit. Hoc igitur idem et nobis accidere, qui, in quadam orbis terrae concavitate habitantes, altam incolere superficiem arbitremur, atque aërem nominemus caelum, utpote qui per ipsum quasi caelum astrorum motus intueamur; idque nobis accidere propterea quod, propter imbecillitatem tarditatémque, ad supremum aërem transcendere nequeamus. Quod si quis ad summum eius perveniret, aut pennis sublatus evolaret, ac emergens prospiceret (quemadmodum hinc, e mari emergentes, nostra haec aspiciunt), sic ea quae illic sunt aspiceret, caelúmque illud esse verum verámque lucem veramque terram cognosceret. Nam haec terra et lapides et totus hic locus adesi sunt atque corrupti, ut ea quae in mari sunt a salsedine. Neque enim nascitur in mari quicquam existimatione dignum; atque, ut ita dixerim, nihil est in eo perfectum, sed cavernae, arena, limus incredibilis, atque sordes, ubicunque sit et terra: quae quidem ad has nostras pulchritudines nullo modo sunt conferenda. Illius vero loci pulchritudo hanc nostram multo magis apparebit excedere. Proinde, si fabulam quoque narrare oportet perpulchram, operaepretium, Simmia, est audire quales sint hae terrarum plagae quae subiacent caelo. Immo vero, inquit Simmias, laetissime hanc fabulam audiemus. Ferunt igitur, o amice, inquit, primum quidem talem videri terrae illius faciem, si quis superne despiciat, quales sunt hae pilae quae ex coriis duodecim contextae sunt, variis scilicet distinctam coloribus, quorum hi nostri colores, quibus pictores utuntur, similitudinem quandam retinent. Illic vero universam terram ex talibus, multóque etiam nitidioribus ac purioribus esse quam hi sint: partim quidem purpuream mira pulchritudine praeditam, partim vero coloris aurei, partim gypso et nive candidiorem; praeterea ex

coloribus aliis similiter compositam, ac etiam pluribus pulchrioribúsque quam in nostram notitiam pervenerunt. Enimvero has ipsas ipsius concavitates, aqua aérque repletas, speciem quandam coloris splendidam in primis afferre inter ceterorum colorum varietatem, ut una quaedam species eius varia semper appareat. In huiusmodi vero terra convenienti ratione similes nasci arbores et flores et fructus; praeterea montes et lapides ibidem simili ratione habere perfectionem atque perspicuitatem colorésque pulchriores, quorum particulae quaedam sint lapilli qui apud nos habentur in pretio, Sardia, Iaspides, Smaragdi ceteríque eiusmodi; illic vero nihil esse quod non tale sit aut etiam pulchrius. Cuius quidem rei causa sit, quoniam lapides illi puri sint, neque, quemadmodum nostri, a putredine salsugineque exesi atque corrupti, quibus in hunc locum confluentibus lapides et tellus animaliáque et plantae inficiuntur atque aegrotare coguntur. Terram vero ipsam his omnibus exornari, atque auro et argento ceterísque similibus; praefulgentia quidem ipsa nasci et multa et magna pérque omnem terram, ut ea videre spectatorum felicium sit spectaculum. Proinde ibi esse animalia multa, et homines partim regione mediterranea incolentes, partim circa aerem, quemadmodum nos circa maris litora, partim etiam insulas, quae haud procul a continenti positae aere circundantur. Sed ut summatim dicam, quod nobis aqua est et mare ad usum nostrum, id illis esse aerem; quod vero nobis aer, id illis aetherem esse. Tempora vero apud illos tantam habere temperiem ut illi et sine morbo continue, et longe diutius quam nostri, vivant; itemque visu, auditu, prudentia ceterísque talibus tantum nobis praestare quantum et aer aquae et aether aeri puritate praestat. Praeterea illic esse deorum templa lucósque, in quibus re vera dii familiariter habitent, et responsa et divinationes eorúmque sensus familiaritatésque eiusmodi hominibus ad deos esse. Solem quoque et lunam stellásque alias quales revera sunt apud eos videri; ceteris in rebus beatitudinem eos his congruam possidere. Itaque universam terram sic natura comparatam, et quae circa eam sunt; esse praeterea in ipsa, per concavitates, loca in circulum multa, partim quidem profundiora atque ampliora quam sit regio a nobis culta, partim vero profundiora quidem sed hiatum angustiorem habentia quam nostra haec regio, esse et alicubi minus profunda sed ampliora quam nostra. Haec autem omnia sub terra sibi invicem obviare atque irrumpere multis undique modis, tum per angustiora tum per ampliora, discursúsque habere et exitus quibus magna aquarum copia ex aliis in alia velut

in crateres confluat; item perennium fluminum sub terra incredibiles magnitudines aquarum, tum calidarum tum etiam frigidarum, plurimúmque ignem, et ignis ingentes amnes, multos quoque lutulenti humoris, partim quidem purioris partim vero sordidioris, ceu torrens luti qui in Sicilia est, et iuxta ipsum amnes lutei inde fluentes; quibus singula compleri loca quacunque eos contingit perfluere. Haec autem omnia sursum deorsúmque ferri, veluti vase pensili quodam in terra posito atque ita librato ut utrinque vicissim inclinet atque attollat. Est autem id vas pensile ob naturam quandam eiusmodi. Unus aliquis ex terrae hiatibus est profecto quam maximus, pérque universam terram traiectus et patens, de quo Homerus: Longe nimis barathrum stat sub tellure profundum; quod et ipse alibi, et multi poetarum, Tartarum appellarunt. In hunc enim hiatum omnia confluunt flumina, atque inde rursus effluunt; talia vero sunt singula per quales labuntur terras. Quod autem hinc effluant omnia rursúsque refluant, haec est causa, quod hic humor nec fundum habet nec fundamentum; itaque elevatur, et sursum deorsúmque fluctuat; idémque facit aer atque spiritus qui circa ipsum versatur. Sequitur enim sive in illam terrae partem sive in hanc humor fertur; et quemadmodum in respirantibus flatus continue expirat atque respirat, sic ibi spiritus una cum humore elatus vehementes quosdam ventos et incredibiles commovet, sive influat sive effluat. Quapropter, cum aqua delabitur in locum quem inferiorem appellant, per meatus terrae iuxta eiusmodi rivos influit, passímque per eos exundat et implet, velut hi qui hauriunt; cum vero illinc huc erumpit, haec quoque iterum loca complet. Plena vero cum sint, per rivos terraeque meatus fluit; et cum humores singuli illuc profluxerint quo quisque profluit opportunius, maria, lacus, flumina, fontes efficiunt; proinde rursus hinc relabentes per terram, partim quidem per longiores plurésque anfractus, partim vero per pauciores atque breviores, rursus in Tartarum confluunt. Sunt vero et alia multa et magna variáque fluenta; sed praecipua quaedam quattuor, quorum quidem maximum atque extimum, terram circundans, Oceanus appellatur. E contraria vero huius regione fluit Acheron, qui per deserta alia fluens loca, atque per subterranea, in paludem defluit Acherusiam, quo plerique defunctorum deveniunt animi, ibíque, per fatalia quaedam temporum curricula commorati, partim quidem longiora partim vero breviora, rursus ad generationes animalium relabuntur. Tertius vero fluvius horum medius duorum interfluit, nec admodum longe progressus in locum

cadit vastum, multo igne flagrantem, efficítque paludem nostro mari maiorem, aqua lutóque ferventem; hinc vero turbidus lutulentúsque circumfluit, terráque circumdatus, ad extrema paludis Acherusiae pervenit, nec tamen illius aquae miscetur, sed sub terra saepius revolutus absorptúsque defluit infra Tartarum: hunc fluvium Pyriphlegethontem nominant, cuius rivi quidam inde, velut evulsi, quacunque terrarum contigerit manant. E contraria vero huius regione fluvius quartus primum in locum erumpit ferum et asperum, ut ferunt, colore vero totus talis qualis est cyaneus, quem Stygium nominant; hic autem fluvius prolapsus paludem efficit Stygem. Hunc vero incidens locum, vires vehementes in aqua assumit, mersúsque sub terra se condit, circumvolutúsque adversus Pyriphlegethontem labitur, et in Acherusia palude e contraria parte fit obvius; nec ulli huius aqua miscetur, sed revolutus in gyrum contra Pyriphlegethontem irrumpit in Tartarum: hunc Poetae appellant Cocytum. Cum vero haec ita natura disposita sint, quando in eum locum defuncti pervenerint quo daemon unumquenque perducit, primo illic iudicantur, et qui honeste sancteque vixerint, et qui aliter. Itaque quicunque in vita quodammodo tenuisse medium quoddam comperiuntur, ad Acherontem profecti, vehiculis quae unicuique adsunt conscensis, paludem perveniunt Acherusiam, ibíque habitant purgantúrque, poenas dantes iniuriarum, et cum purificati sunt absolvuntur, rursúsque pro merito singuli benefactorum praemia reportant. Qui vero ob scelerum magnitudinem insanabiles esse videntur (qui videlicet sacrilegia multa et magna, vel caedes iniquas, vel alia horum similia perpetraverint), hos omnes conveniens sors mergit in Tartarum, unde nunquam egrediuntur. Qui autem sanabilia quidem peccata sed ingentia commiserunt (veluti si qui contra patrem vel matrem irati per vim aliquid fecerint, sed poenitentia ducti eos in cetera vita coluerint, vel qui simili quodam pacto fuerint homicidae), eos in Tartarum quidem necesse est cadere, sed ibi per annum commorati a fluctu eiiciuntur, homicidae quidem per Cocytum, parentum vero violatores per Pyriphlegethontem. Postquam vero ab his delati fluminibus ad paludem Acherusiam pervenerunt, clamant illic vocitántque eos quos vel necaverunt vel iniuriis affecerunt, supplicitérque rogant atque deprecantur ut eos permittant ingredi in paludem ibíque recipi; ac si impetraverint, penetrant illuc finémque malorum accipiunt; sin minus, referuntur in Tartarum, atque inde rursus in flumina, neque per haec mala deferri prius cessant quam ab his quos affecerant iniuriis

impetraverint: haec enim poena illis a iudicibus est imposita. Qui autem pie prae ceteris vixisse inveniuntur, hi sunt qui ex his terrenis locis, tanquam e carcere soluti ac liberati, ad altiora transcendunt purámque supra terram habitant regionem. Inter hos autem quicunque satis per philosophiam purgati sunt, absque corporibus omnino totum per tempus vivunt, habitationésque his etiam pulchriores nanciscuntur, quarum pulchritudo neque facilis dictu est neque praesens tempus ad dicendum sufficeret. Sed horum quae narrata sunt gratia, o Simmia, omni studio est annitendum ut virtutis et prudentiae in vita simus participes: praemium namque pulchrum est, et spes ingens. Haec igitur ita se pacto prorsus habere, quo ego exposui, non decet virum sanae mentis asserere; esse tamen vel haec vel talia quaedam circa animos nostros eorúmque habitationes, quandoquidem immortalis apparet anima, et decere mihi videtur, et dignum, quasi periclitantem ita existimare. Honestum enim periculum est; oportétque haec quasi carmina quaedam mentibus nostris infundere, quamobrem ipse iamdiu protraho fabulam. Sed horum gratia bonam spem de animo suo habere oportet, quicunque, voluptatibus ornamentísque corporis neglectis tanquam alienis, aliud se amplius facturum existimans, voluptates quae in discendo percipiuntur studiose sectatus fuerit, animúmque non alieno sed suo decoraverit ornamento, temperantia, iustitia, fortitudine, libertate, veritate: sic ex hac vita migrationem expectans, tanquam cum fatum vocaverit migraturus. Vos quidem, o Simmia et Cebes aliíque praesentes, in posterum quodam tempore singuli transmigrabitis; me vero nunc, ut tragicus aliquis diceret, iam vocat fatum. Ac ferme tempus est ut ad lavandum divertam: praestat enim, ut puto, post lavationem venenum bibere, ne in lavando cadavere molestiam mulieribus praebeamus. Cum haec dixisset Socrates, Crito sic inquit: Dic age, o Socrates, quidnam his aut mihi mandas, agendúmve erga filios tuos vel circa cetera? quidve agendo maxime tibi gratum fecerimus? Nihil equidem, inquit, novi praecipio, sed quod semper vobis praedico: videlicet si vestri curam habetis, et mihi et meis et vobis ipsis grata evadent quaecunque feceritis, etiamsi nunc non promittatis; at vero si vos ipsos neglexeritis, nolentes secundum ea quae nunc et ex superiori tempore dicta sunt quasi per vestigia vitam dirigere, nihil prorsus proficietis, etsi multa nobis nunc promittatis. Ista quidem, o Crito, curae nobis erunt. Sed quemadmodum sepeliri te iubes? Ut vobis, inquit, libet, si tamen me apprehendetis ac nisi ego vos effugero. Et simul subridens, ad nos conversus,

Non persuadeo, inquit, Critoni me esse hunc Socratem qui nunc disputo et singula dicta dispono, sed opinatur me illud esse quod paulo post videbit cadaver, itaque interrogat quemadmodum me sepeliat. Quod autem iamdiu plurimis verbis contendo, postquam venenum bibero haud ulterius apud vos me esse futurum, sed ad beatorum profecturum felicitates, hoc quidem mihi videor frustra Critoni dixisse, consolans vos simul atque meipsum. Fideiubete igitur pro me Critoni contraria quadam fideiussione quam ipse iudicibus fideiussit: ille enim me mansurum spospondit; vos vero spondete me, cum obiero, non mansurum sed abiturum, ut Crito facilius ferat, néve, meum corpus vel cremari cernens vel sepeliri, me deploret quasi dira patientem, néve dicat in funere proponi Socratem, aut efferri, aut sub terram condi. Certum enim id habeto, optime Crito, quod non recte sentire non solum est in hoc ipso peccare, verumetiam animis nonnihil officere. At enim confidere oportet, atque dicere corpus sepeliri meum, atque ita sepeliri ut tibi placebit maximéque iustum esse censebis. His dictis surrexit intravítque cubiculum quoddam quasi lavaturus, Crito autem secutus est; nos vero expectare iussit. Expectabamus ergo, de his quae dicta erant inter nos colloquentes rursúsque considerantes; praeterea commemorabamus quanta nobis calamitas accidisset, qui, tanquam parente orbati, reliquum vitae tempus orphani futuri essemus. Cum Socrates lotus esset, delati sunt ad eum pueri (duos enim filios habebat parvulos, unum vero iam grandem); venerunt et mulieres domesticae. Ad eas Socrates, cum praesente Critone verba fecisset et quae volebat mandavisset, mulieres quidem et pueros abire iussit, ipse vero ad nos rediit, iam circiter solis occasum: permultum enim temporis intus fuerat commoratus. Cum vero ad nos venisset lotus, consedit; nec multa post haec locutus erat, cum venit Undecim virorum lictor, qui, illi adstans, O Socrates, inquit, non animadverto in te quod in ceteris: illi enim indignantur mihi atque exsecrantur quando illis denuntio venenum esse bibendum, magistratibus compellentibus; te vero cognovi, praesertim hoc tempore, generosissimum mansuetissimúmque et optimum virum omnium qui unquam hunc in locum devenerunt, et nunc equidem certo scio te mihi haud infestum esse, sed illis quos rei huius causam esse cognoscis. Nunc ergo (scis enim quem tibi nuncium afferam) vale, atque annitere quae necessaria sunt pro viribus facile ferre. Et simul his dictis abibat lacrymans. Socrates autem in eum respiciens, Et tu, inquit, vale, et nos id faciemus. Simúlque ad nos conversus, Quam urbanus est homo hic, inquit;

neque solum in hoc, sed in superiori etiam tempore me salutabat colloquebatúrque nonnunquam, fuítque semper virorum optimus; et nunc quam ingenue me deplorat. Sed age, o Crito, illi pareamus, ac, si iam tritum est venenum, aliquis huc afferat; si nondum est tritum, conterat ille. At reor equidem, inquit Crito, o Socrates, nondum solem in montibus esse, neque adhuc occidisse; praeterea novi alios, denuntiato sibi veneno, valde sero bibere illud consuevisse, largiter coenatos atque potos, interdum vero etiam illorum potitos quorum more afficiebantur. Quamobrem ne adeo festines, adhuc enim superest tempus. Tunc Socrates, Merito, inquit, o Crito, illi ista faciunt: putant enim haec facientes lucrari; atque ego merito ista non faciam, nihil enim me lucraturum spero si paulo posterius venenum bibero, nisi ut mihi ipsi sim ridiculus, tanquam vitae cupidus atque parcus eius rei servator cuius nihil iam amplius mihi adest. Sed age, iam mihi obtempera, nec aliter facias. Crito vero his auditis annuit puero, qui longe non aberat; ille vero egressus, et aliquantulum commoratus, rediit cum eo qui venenum daturus erat, secum ducens: attulit autem in calice id attritum. Hunc aspiciens Socrates, Cedo, inquit, bone vir, tu enim harum rerum peritiam habes, quid me facere oportet? Nihil, inquit, aliud quam, post potionem, deambulare quoad gravari tibi sentias crura, postea vero iacere; atque ita venenum ipsum operabitur. Haec dicens porrexit calicem Socrati. Socrates vero hilariter admodum, o Echecrates, accepit, nihil omnino commotus, neque colore neque vultu mutato; sed, quemadmodum admodum consueverat, taurine illum aspiciens, Quid ais, inquit, licétne ex hoc poculo nonnihil spargendo sacrificare? Tantum, inquit, o Socrates, contrivimus quantum satis fore putavimus. Intelligo, inquit; sed et licet et oportet orare deos ut felix sit transmigratio nostra: quod equidem obsecro, atque utinam ita fiat. Et simul his dictis, arrepto poculo, facillime admodum alacritérque ebibit. Plerique nostrum eousque retinere quodammodo lacrymas potueramus; at postquam et bibentem vidimus et bibisse, ulterius non potuimus, sed me quidem dolor adeo superabat ut lacrymae largiter iam mihi profluerent. Quapropter, me protegens, deplorabam non illum quidem, sed fortunam meam, qui tali amico orbatus essem. Crito autem etiam prior me, quum lacrymas nequiret continere, surrexit. Apollodorus vero nec in superiori quidem tempore unquam lacrymare cessaverat; tunc vero praecipue vociferans séque ipsum afflictans, neminem reliquit praesentium cuius vicem non deploraret, praeter

unius Socratis vicem. Ille vero haec animadvertens, Quidnam, inquit, o viri mirabiles, agitis? Atqui ego maxime hanc ob causam mulieres abegeram, ne talia facerent: audiveram enim cum gratulatione et applausu esse ex hac vita migrandum. Quiescite igitur atque tolerate. Nos vero haec audientes erubuimus, destitimúsque a lacrymis. Sed ipse, quum inter deambulandum crura iam gravari sentiret, iacuit resupinus (sic enim qui venenum praebuit iusserat). Qui paulo post eum tangens pedes et crura considerabat; deinde, gravius comprimens pedem eius, quaesivit an sentiret: negavit Socrates. Ille rursus pressit tibias, paulatímque, manu ascendens, ostendit nobis frigere eas atque rigere; ipse attigit rursus, aitque, quum ad cor pervenerit, tunc decessurum. Iam igitur friguerat ei ventriculus, cum, detegens (erat enim coopertus), dixit (quae vox illi extrema fuit): O Crito, Aesculapio gallum debemus, quem reddite, neque negligatis. Fiet, inquit Crito, quod iubes; sed vide num quid aliud velis. Haec interroganti nihil ultra respondit; sed, cum parvo tempore interquievisset, commotus est, et minister detexit eum, atque ipse lumina fixit; quod quum Crito cerneret, ora oculósque composuit. Hic finis fuit amici nostri, o Echecrates, viri, nostro quidem iudicio, omnium quos experti sumus optimi, et apprime sapientissimi atque iustissimi.